



**Oratio de historia eiusque dignitate, partibus, atque imprimis  
ea, quae de gentilitatibus agit, nec non aliis, quae ad idem  
argumentum pertinentia, moneri vtiliter posse visa sunt:**

<https://hdl.handle.net/1874/456052>

Oratio

DE HISTORIA,  
EIVSQUE DIGNITA-  
TE, PARTIBVS, ATQVE IN  
PRIMIS EA, QVÆ DE GENTILITATIBVS

AGIT, NEC NON ALIIS, QVÆ AD IDEM  
argumentum pertinentia, moneri vtiliter  
posse visa sunt:

Scripta & recitata præfationis in prælectionum  
publicarum operas ergò,

A

REINERO REINECCIO  
STEINHEMIO.



FRANCOFVRTI  
APVD AND. WEHELVM,

M. D. LXXX.

DE HISTORIA  
EVAROVE DIGNITA  
IN PARTIBVS ATOVE IN  
EVAROVE DIGNITA  
EVAROVE DIGNITA

Publicum opus  
A  
EVAROVE DIGNITA  
EVAROVE DIGNITA



FRANCISCVS  
AND WEGHELM



ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO,

DN. IOHANNI GEORGIO, S. ROM. IMPERII  
ARCHICAMERARIO ET ELECTORI VIIVIRO, MARCHIO-  
ni Brandenburg. Duci Prussorum, Stetinensium, Pomeranorum,  
Cassuborum, Slauorum, &c. Burggrafio Noribergen-  
si, &c. Principi optimo, Domino suo  
clementissimo:

S. D.

REINERVS REINECCIVS STEINHEMIVS.



QVOD urgebant necessarii atque amici, proba-  
bant collegæ, efflagitabant quadam beneuolen-  
tiæ propensione, & nonnulla fortassis emolumen-  
ti spe, ceteri, ut quam de Historia eiusq; digni-  
tate præfationis in prælectionum nostrarum  
operas vice orationem habuissem, publici iuris  
facere: id cum fausti alicuius ominis atq; præ-  
sagitionis speciẽ haberet, denegari à me refraga-  
ndo non debuit. Et interesse mea ducebam, ut studiorum nostrorum  
ratio, & quibus in academiis, quibusq; sub Præceptoribus potissimum  
profecissem, constaret publicè. Ad hæc ea Historiæ conditio, ea vis atq;  
amplitudo est, ut sicuti per se non potest non omnibus commendatissi-  
ma esse, ita dignitati eius atq; utilitati nullorum elogiorum prædica-  
tiones satis sint, sed omnem omnium ingeniorum industriam atq; effi-  
cacitatem superet. Quare cernere est, fermè in particulis, tanquam  
de immenso acervo decerptis, plerorunq; operas occupari. Quibus ut  
sua merito commendatio permanet, ita rimari è fontibus quadam no-  
bis accuratius, & tota de re tanquã historiam aliquam effingere, vi-  
sum fuit. Neque verò cum in id veluti theatrum spectanda nobilissima  
gentes, spectandi summi monarchæ, reges, proceres, producantur, non  
potest incundissima cognitionis liberalis cupidus animus voluptate  
expleri. Fuerit etiam fortè, quod de partium historiæ discrimine, & in

EPISTOLA DEDICATORIA.

qua potissimum desudandum, denique quibus ad eam viis gradiendum sit, expositioni nostrae debeat. Certè quidē offerunt tractatu illo iterum sese non solum summi monarchae, qui auctoritate et patrocinio luculento astipulentur, sed etiam scriptores, quorum explicatione operae precium factū fuit. Postremo neque illud omissum, quid ad historiae scripturam requiratur, et refelluntur in operibus istis, scrupulusque euellit, qui non solum in historiae tractatione tironibus, sed etiam aliquosque progressis, peneque Rosciis, iniici plerunque assolet.

Hac cum ita sint, et commentatiuncula haec nostra ita demum ferre lucem posse videretur, si firmissimum aliquod patrocinium adiunctum haberet, à quo istud potissimum, subiectione qua par est, peterem, IOHANN. GEORGI, PRINC. EL. Domine clementiss. illustriss. Excelsitas T. occurrebat. Etenim ut nihil dicam de amplissimis beneficiis ab Excels. T. in me collatis, pro quibus subiectissimi studii obseruantia deo debereque volo perpetuam: neque attingam, post aduersos casus quasdam, ludificante per appositos atque accommodatos tali ministro in pietati seu sanguini debitorum officiorum cultu fortuna, exoptatissimum in Excels. T. mihi magistratum, clementissimumque ac benignissimum tam rei ac fortunarum, quam studiorum protectorem et prope obtigisse: ita quidem minime celata ab Excels. T. vel disciplinae ratio, cuius professio mihi demandata esset, vel operae nostrae esse debebant. Neque repetendum de utralibet quicquam duxi. Hoc opto etiam atque etiam, adeoque ab Excels. T. subiectissimè precor, ambas à me commendatissimas habeat. Qua de re in prolixiora rem sperem inducar, cum alia, quae fallere nunquam ferè assolent, tum illud omnium certissimum, de Excels. T. erga religionem, reipublicae, literas digno Patre patriae respectu, argumentum confirmat. Quod ad me attinet, ita duce Spiritu sancto, comitibus sanctissimis illis genis, quos Ecclesiae vocabulo Angelos appellamus, solitam studiorum viam pergam, ut et quae proficisci debita subiectissimaeque obseruantiae officia ab humilitate nostra possunt, in Excels. T. nunquam non constant, et ceteris partibus, qua decet diligentia, studio, fide, perfunctus videar. Excelsitas T. bene et feliciter valeat.

• Francofurto ad Viadrum, M. Iunii

D. XXVII. CIÖ. IO. LXXIX.

• DE

# DE HISTORIA EIVSQVĒ DIGNITATE, &c.

## Oratio.



ROGRESSO ad dicendum mihi ex officio in hunc amplissimum confessum vestrum, Magnifice Domine Rector, Illustres & generosi Barones, clarissimi & ornatissimi viri, honestissimaque omnium ordinum iuventus, secundum cœlestis numinis propitium fauorem præcipuè beneuolentia vestra, & disertæ atque elegantis orationis copia, opus fore perspicio. Sed de illa, qui alios tam benignissimè audiueritis, audireque soleatis, dubitare haud debere mihi vi-

deor, neque omnia de vobis sibi pollicenti denegandam existimetis, oro: ab hac quàm deficiat, quotque ea me felicitas post se parasangis reliquerit, vtinam attingere necesse mihi non esset. Tamen quæ id incommodum resarciat, iterum de beneuolentia vestra me spes subleuat. Idcirco acquiescere in ea ita me patiemini, vt voluisse me, vobis sat sit, hoc est, cum Nasone voluntatem, cum vires desint, collaudetis.

Quia autem superiore anno hospitem me primùm academia nostra excepit, & dum aliud ago, cœlestis illa *res vobis*, cuius nutū mortalium res, & quicquid vsquam est, gubernantur, in hanc me stationem collocavit, non sunt forsitan nulli, qui de studijs meis, deque me ipso, explorata antè habere omnia gestiant. Sed est scilicet iam his responsum publicè: nec pleraquè, cum res ita ferret, à summo magistratu celata. Vnum id addo, cum puerilis disciplinæ, primæque adolescentiæ, incunabula ac rudimenta à felice illo ingeniorum informatore, Iohanne Glandorpio, percepissem, & maturitatem nonnullam addidisset in illustri Goltpergeni Iudo D. Henricus Paxmanus, Professor academix huius publicus, deque me exinde præclarissimè semper meritis patronus, reliquū me litterarum perdiscendarum atque excolendarum cursum in academijs, Marpurgeni, Vitebergensi, Ienensi & Lipsiensi peregisse. Nec inficias vllō modo ire vel debeo vel possum, quicquid in artibus, quicquid in linguis, quicquid denique in eo disciplinæ genere, circa quod postea vniuersum fermè studium nostrum constitit, hoc est, antiquitatis & Historiarum tractatione profeci, id potissimum me præceptoribus, Glandorpio, Paxmano, Casparo Peucero & Ioachimo Camerario debere. Et extāt quidem de me & illis ipsis studijs meis testimonia singulorum tam priuata quàm publica, eaq; (quid enim dissimulem?) perquam honorifica. Quod si neque hoc alterum retinendum, conati bene multis annis pro modulo nostro sumus, vt docendo priuatim, scribendo publicè prodessemus. Verùm de his hætenus.

Nunc solenne illud, quemadmodum est apud Plutarchum, in Romanorum Principum aurijs aut sacrificijs, HOC AGE, ad id, quod instituti nostri caput est, accedā, & argumentum, de quo perorandum mihi, quantum ingenij nostri tenuitas pateretur, existimassem, in manus sumam, commonet. Omnino autem diu suspensum me deliberatio tenuit, quid potissimum auribus vestris, limatissimoque ac politissimo iudicio, dignum à me afferretur. Ac compereram quidem alia ab alijs, quæ vel tempus suggestisset, & quasi expressisset, vel disciplinæ, in cuius explicatione versarentur, quædam lex efflagitasset, pertractata. Quod postremum exemplum sequi mihi etiam visum fuit, sic vt intra consuetorum studiorum tanquam septa consisterem. Et quæ istam voluntatem elicerent, causæ erant grauissimæ. Enimvero vt non langueat, sed penè mortua sit, ea eruditæ doctrinæ pars, quæ rerum gestarum memoriam complectitur: vt pleriq; vix etiam artium & linguarum degustatis initijs tanquam à remo ad tribunal, quemadmodum dici solet, anhelantes, ad cæteras illas grandiores disciplinas, propterea quòd questuosæ videantur, non accurrant, sed proterua quadam audacia atq; insolentia irrumpant: quàm pauci de solida antiquitatis cognitione solliciti sint, id tam apertum omnibus est, vt gemere atque à deò deplorare potius, quàm inculcare debere videamur. Disseram igitur quantum tempus fert, aut præstari à me poterit, de nobilissima, & si quid

R. REINECCII ORATIO

est in me iudicij, omnium fermè vtilissima disciplina, Historia inquam, & tum quæ dignitatem eius commendat, tum partes, & in primis *περὶ ἱστορίας*, & alia, quæ eodem pertinerent, nec scitu infructuosa fore visa sunt, pandam.

Principiò autem enucleandum nobis nomen eiusque notio est. Quod Græcum esse, sed vsu Latinum factum, indeq; etiam in multas alias linguas translatum, neminem nisi in bonis litteris planè hospitem, fugere potest: *ἀπὸ τῆς ἱστορίας*, cui in reliquis significatis etiam vis memoriæ prodendi & commemorandi inest. Est igitur Historia rei gestæ expositio. Nam eam à Quintiliano traditam definitionem, præ cæteris omnibus, quas Polybius, Cicero & alij habent, retinere malui. Vt autem inter se differant, Historia, Commentarij, Annales, Fasti, Ephemerides, Chronica, Chronologia, alibi dicendum fuerit. Post etiam de partibus Historiæ separatim agemus.

Cæterùm quæ Historiam, eiusq; dignitatem, nobis commendat, fermè innumera sunt. Nam vt quædam paulo altius repetamus, & ad ipsa generis humani primordia regrediamur, satis constat, primam illam, & antiquissimam Patrum scholâ disciplinæ huic vel maximè studuisse. Res autem ita se habet. Cùm à fratris Abelis cæde tanquam absentis quispiam, secundum Cypriani vocabulum, arceretur à laribus & sacris paternis facinorosus ille, facinorosorumque parens atque parricida, Cainus, suos deinde & peculiare agitare cœtus occœpit, sed vt maliciosa simulatione (Græci *ὑποκρίσειν* vocât) quæ tamen miram sanctimoniam speciem haberet, cultus nouos instituerit, & doctrinâ quasi per manus à parentibus acceptam palàm corruerit. Obdurauitque deinceps in impio eo instituto tota Caini posteritas, & ita obdurauit, vt etiam artium, quas Adamus *ἐπιπέσειν* cum ipsis litterarum elementis inuenerat, studium neglexerit, seque ad ea tantùm conuerterit, quæ ad cultum vitæ molliorem, luxum & omnis generis voluptates pertinerent. Hinc est, quòd ipse Cainus agriculturam exercuit, & vrbes extruendi modum docuit, condita à se & appellata de filij nomine Enocho. A Lamecho, qui quinto loco à Caino natus fuit, *πολυμερία* introducta est: Iabal tabernaculorum vsum monstrauit, & inimus pecuariam fecit: Iubal Musicam reperit. Tubalcain artem conflandi metalla, & inde aliquid cudèdi. Certè quidem de Iubal (vt hoc obiter inseramus) multarum linguarum vsurpatione verbum iubilare permansit. Nec dubium vllum habeo, de Tubalcaino Latinam linguam nomē Vulcani, quem Ethnica superstitio Ignem & Iouis fabrum credidit, retinuisse: quemadmodum Græcum *Ἡφαίστος*, ex Ebræa lingua planè idem significatum ab igne refert. Nam quam Latini notionem finxere, ridicula profus est. Neque quicquam ferè discriminis reperiatur, quàm quòd principium modicam habet *ἀφαιρέσειν*. Quæ de peregrina appellatione videri mira non debet. Contraque coniecturam illam non parum cōfirmant, tum quæ de Vulcani fabulosa historia, quæ ad veram Tubalcaini alludit, his verbis scripsit Diodorus lib. 5. cap. 15. Vulcanum (inquit) ferri, æris, auri, argenti, omniumq; quæ igne fabricantur, artē inuenisse, ferunt, eamq; cæteros docuisse, &c. tum quòd eadem Latina lingua eodem etiam modo nomen & nomen Iani, quod vtrunq; Græca ignorat, quemadmodum est apud Ouidium, conseruauit. Est enim à Iauan, filio Iaphet, conditore tam Græcæ quàm Latinæ gentis, ideoque bifronte credito. Tametsi non ignorem ab alijs, in quibus Hermanus Mutius, rerum Germanicarū scriptor, ipsum Noham Ianum haberi, & inde bifrontem dici, quòd bina secula viderit.

Verùm hæc contra sanctioribus innixus studijs, sanctioremq; viuendi viam ingressus Sethus, Adami filius tertius, tam religionis veritatem, quàm artes à patre adinuentas, hoc est, doctrinam Physicam, Astronomiam & alias omni contentione excoluit, & ad posteros propagauit. In primis autem religionis accensum studium Enochi temporibus fuit. Inde enim est, quòd litteræ sacræ inuocari tum nomen Domini cœpisse dicunt. Cumq; sanctissimi homines tantarum rerum conseruari memoriam, & ex imio aliquo monumento propagari ad posteros satagerent, faciundum ita censuere, vt duabus erectis columnis, vna lateritia, altera lapidea, illam veluti Historiam inscriberent. Enimvero & à Tacito traditum est, antiquissima memoriæ humanæ monumenta saxi imprefa fuisse. Quibus Iosephus, qui historiam, quam dixi, nō expositam alioqui in sacrarum litterarum libris, sed quam ipse religiosa maiorum obseruatione, fideliqu; custodia, traditam Antiquitatibus suis inseruit, hoc præterea addidit, lapideam columnam suam etiamnum ætate in Syria reliquã fuisse. Nam ea communis, nec meo iudicio improbada, doctorum

DE HISTORIÆ DIGNITATE.

doctorum opinio est; primam generis humani sedem circa Damascum extitisse, ita quidem, ut etiam vrbs illa de cæde Abelis nomen traxisse, existimetur, ac si dicas sacrum sanguinis.

Est igitur hæc omnium prima, de qua quidem nobis constet, relata in litteras Historia, qua tanquam doctrinæ cœlestis Biblijs, quemadmodum nunc loquimur, & breui quadam *ἐπιτομῇ τῆς αἰτίας*, sanctorum Patrum auditores ante Diluuium vsi fuere. Nec ambigam, eosdem ibi veluti ad fanum aliquod, aut scholam publicam, conuenisse. Quod si cui etiam columnas credere aras quasdam, in quibus de more sacrificij fierent, & sacre conciones adiungerentur, libet, nihil reclamârim.

A Diluuiio, cum interisset aquarum eluue absorpta ut reliqua Caini posteritas, ita etiam tam hac quam piorum sobole editi *ἄνθρωποι* illi Gigantes ac potentes, à seculo viri famosi, ut habet vetus translatio, id est, nati è potentium connubijs, qui Heroes & tanquam Semidei videri vellent, solusq; Noh cum vxore, filijs & nuribus cõseruatus mirabiliter in arca esset, sed paulo post, hoc est, ferme annorum centum spatio, quemadmodum pleriq; calculum subduxere, genus humanum felicissimo filiorum Nohæ quasi germinè iterum in immensum creuisset, ut iam prima Patrum sedes nõ omnes caperet, priusquam à se inuicem colonijs diuellerentur, commune quoddam omnium extare monumentum uolueret: in itumq; de vasta illa turris Babylonicæ extruccionem, cuius fastigium cœlũ attingeret, quemadmodum loquitur Historia sacra, consilium fuit. Tamen si verò quid de tota hac re pleriq; tam veteres quam recentes scripserint senserintq;, haud sim nescius tamen neq; eam improbârim coniecturam, repetitum aliquo modo Ecclesiæ ante Diluuium de duabus columnis exemplum fuisse: sed quod structores isti propter Diluuij exanclatum periculum opere augustiore atq; ambitiosiore, deniq; etiam firmiore, suscipere niterentur. Cumq; in tanta hominum multitudine iam non solum de religione, idque auctoro potissimum Chamo, Nohæ F. quem liuor & è diris paternis furia ad id institutum perpererent, (nam in hanc penitus sententiam imus, fuisse Chamum natura procliuem in vitia, ideoq; pias patris obligationes tulisse indignius: & postquam tandem tam ex ebrietate huius fortuita, quam ex ætate decrepita calumniandi occasione nactus fuit, inde iam planè pro deliro eum habuisse, perq; hominum ora traduxisse, & doctrinæ cœlestis veritatem ab eo traditam, ut religioni suæ nouæ fucum faceret, alto quodã supercilio contempsisse ac derisisse) variare sententiæ cœpissent, & deteriores saniores vincerent, verum etiam proterua licentia atq; audacia vulgi creuisset, ut vstita antea paterna imperia, quorum summa pœna esset exclusio à sacris (Græci *ἀναθηματικὸν ἐκβάλλον* ἢ *ἀποεργὸν* vocant) non amplius locum haberent, sed improbi ac facinorosi impunè grassarentur, ideoque promulgata cœlitus esset sanctio recens, & priori ante Diluuium seculo planè ignota: Qui hominis sanguinem fuderit, ipsius inuicè sanguis per hominem fundatur: quo magistratus auctoritas, atque in fontes animaduertendi potestas instituitur & confirmatur, concurrere præter eam, quam dixi, extruccionis istius mirificæ causam etiam hæc potuerunt.

Quòd inuicem molis, ideoq;, quemadmodum sibi persuaserant, perpetuo monumento consulere in memoriã de Diluuiio, & generis humani instauratione ac propagatione, deniq; etiam per coloniarum deductionem, quæ in hoc loco cœpisset, insecuta dissipatione studuerunt.

Quòd religioni isti nouæ atq; deprauatæ, cui præcipuè cultũ ignis sacri, quæ Biblica historia Vr Chaldæorũ nominauit, accēseo, certã sedem, eamq; ipsa structura arte atq; amplitudine venerabilè designatam esse voluere, ita ut ad hanc alligati vniuersi essent, & ab ea deinceps doctrinæ & rituum norma peteretur: quique dissentire auderent, impietatis rei peragerentur.

Ut ex eodem loco per magistratum, maleficiorum accusati & conuicti, plecterentur, huiusque auctoritas & veneratio de coniuncta religionis sede adaugeretur.

Quòd ex superbo & ambitioso peneque inimitabili opere famam nominis perennem affectarent, & celebrari inde ad omnem posteritatem vellent.

Nec fortè, quod ad primam & tertiam causam attinet, quicquam quod magnopere reprehendatur, fuerit. Sed secunda ad manifestam impietatem spectat: & quarta nihil nisi peruersum animi fastum habet.



Quod si qui etiam, ad omnem cauendam ac tollendam *ἐπιχλω*, confirmari singula de exemplis similibus volent, etsi equidem prolixitatis declinare fastidium mallem, tamen neque eam defugiendam operam duxi: ac rogatos ceteros volo, modicæ digressioni ignoscant.

Ergo ut de primo primùm agamus, conueniunt cum eo, quæ supra de Iano diximus. Neque enim dubium est, ideo biformem confectum, quòd tam Græcorum quàm Latinorum conditor haberetur. Et additam in veteribus nummis imagini eius nauem, diluuij memoriam, & Nohæ arcam, nauigio similem, significare autumo.

De altero res adhuc planior est. Suffragantur enim litteræ sacræ, & ita suffragantur, ut cultum ignis sacri Vr Chaldæorum appellent, propterea quòd in gente illa primum cœperit, indeque porrò in alias terras exportatus sit. Enimvero eundem & Persis & Græcis & Romanis, qui post Assyrios & Chaldæos in ordinem redactos in monarchiarum dignitate sibi inuicem successere, vtitatum fuisse, de historijs ipsorum liquet. Et adduntur ad eò singulorum denominationes. Nam Persæ Orimafdam, Græci *ἑστια*, Latini Vestam dixerunt. Tametsi omnes ex vno & eodem Ebrææ linguæ fonte promanarint. Est enim Orimafda Orim Hefed, ac si dicas lumen sanctum, *ἑστια*, quod Latini quadam dialecti Æolicæ imitatione in Vestam detorsere, Esch Ja, ignis Domini. Neque abhorret à vero, impietatis huius principium è falsa quadam ac superstitiosa de diuina natura persuasione extitisse. Hanc enim cum sacræ litteræ in luce inaccessibili esse astruant, & ipse Deus Deut. 4. se ignem edacem appellet, denique etiam ignis lucidus sit, atque in Patrũ sacrificijs, cum litatum esset, sæpe hostiam absumpserit, creditum inde fuit, diuinum quoddam igni inesse, vel potius hunc Deum ipsum esse. Certè quidem & Mosi Deus Exod. 3. quem ibi ille & angelum & Iehouam vocat, hoc est, Filius Dei in flamma ignis de medio rubo apparuit: idemque Israelitas ceu postliminio Chananæam repetentes interdum in columna nubis, de nocte in columna ignis præcessit: itaque etiam super arcam oracularem resedit: & Mosi videre splendorem eius cupienti, id mortali fas esse, quin vitam amittat, negat. E qua postremæ historia Semeles & Iouis Elicij fabulas natas, crediderim, alluduntque eodem, quæ de Æsculapio & Seruio Tullio rege prodita sunt. Neque omnino inuenias paucas alias similis fermè originis Ethnicorum religiones. Nam æquè vetustum illum Penatium cultum, quem habet historia Labanis Gen. 31. absq; omni dubio mysterium istud peperit, quod Ecclesiæ Christianæ doctores sentiunt, Filium Dei *λόγος* ea humanæ formæ specie cum primis Patribus locutum, quæ postea humanam naturam verè è Maria virgine assumpsit: ut statuamus, auctores cuiusdam patefactionis illius memoriæ studuisse. Cumque exemplum istud, ut est Dei *κατάλογος*, malignus ille spiritus æmuleretur, seque pro angelo lucis venditando tum alias tum animalium etiam variorum formas repræsentaret, monstris istis numinibus, quæ veterum monumentis tradita sunt, occasionem dedit. Nam ut præcipua attingam, Athenienses Noctuam & Draconem, tanquam Mineræ sacros, Ægyptij penè innumera Deorum præ Gigantum formidine in Ægypto transformatione, fabula, quam Ouidius habet lib. 5. Metamorph. Neque obscura recentiora vel in nomine Christiano Magorum à plerisque relata exempla, notum etiam veterum strigum fascinum, quod haud scio an non *φιδουλα* exprimant, quæ de hircis, impuris amoribus, quæ veneficijs seruentibus, aeremque volando traicientibus, vulgò fabulantur. Etsi quod ad Penatium & reliquum statuarum cultum attinet, alia & noua huic post impostura ab eodem maligno illo spiritu prædictionum præstigijs, circa has organa sua ludificante, & oraculis diuinitatis opinionem ac venerationem confirmante, accessit. Quare cum Israelitarum rempublicam ipse Deus opt. max. legibus constitueret, omnem simulacrorum vsum sustulit, atque in eos, qui contra auderent, grauissimam pœnam sanciuit, semperque ferè irrogauit. Neque sanè non manifestissima sunt in Romana & Græca Ecclesia ab imaginum veneratione profecta incommoda. Sed reducatur intra metas suas quasi excurrans oratio. Adoque iam reliqua huc pertinentia veluti *ἐπιπέτα*, ac principe loco Oracula. In quibus antiquissima omnium sunt Iouis Hammonis in Libya, & Dodonæum in Græcia seu Epiro. De his ita sentio, principio ea doctrinæ & sacrificiorum sedes fuisse. Nec discerno Hammonis nomen à Cham, filio Nohæ, sicuti adhuc propius altera Iouis

ra Iouis Dodonæi denominatio originem suam à Dodanimo, qui inter filios Iauanis memoratur, exprimit atque demonstrat. Estque per Iouem Hammonem intelligenda religio, vel doctrina, atque sacrificiorum ritus Chami de Deo Iehoua, ut per Iouem Dodonæum itidem Dodanimi religio, sed utraque mox ab initio, hoc est cœpto ac turbato turris Babylonicæ opere, corrupta, & cæremonijs ipsis denique in meras nugas manifestamque imposturam conuersis. Inde enim sunt oraculi Dodonæi quercus vocales, inde columbæ fatidicæ. Et si postremis memoria columbæ ex arca à Noha emissæ præbere occasionem potuit. Cui postea peculiaris Thessalorum consuetudo accessit, qui mulieres diuinatrices *μυειδῆς*, hoc est, columbas vocârunt. Et sunt in recentioribus, qui de eadem consuetudine manasse locutiones quasdam Germanicas in delirantes & mentientes existiment. Secundo loco refero huc Poeticam de Gigantum *Γιγαντία* fabulam. Certum enim est, profectam hanc ex obscura de turris Babylonicæ extructione fama. Cumque eadem fabula impietas notetur, rectè hæc de Idololatricæ religionis sede excogitata accipietur. Postremam coniecturâ præbet Semiramidis historia. Hæc enim cum Babylonem instauraret, grandem illam turris molem in Belifanum conuertisse videtur, cum neque ipsa fortè à primo conditorum consilio abhorreret, eamque rem propter religionis secutas distractiones iam planè necessariam duceret. Nomen quidem Belus idem est cum Baal, notissimo è Prophetarum scriptis idolo, habetque significatum Domini. Neque è Daniele obscurum de Nabochodonosore Magno exemplum simile est: quippe qui & ipse ad Colossi à se inuenti cultum astringi omnes voluerit. Quibus id tertium accedit, quòd quæ de fani istius turri altissima auctorum monumentis prodita sunt, cum ijs, quæ de prima litteræ sacræ habent, conueniunt. Ac fortè Baalis nomen ex illis vnum exiit, quæ Orientales gentes principiò de vero Deo usurpârunt. Qua de causa Semiramis in fano illo simulacra tria consecrauit, *Διὸς, Ἡραὸς, Πέρας*. Habent enim, quandam sacræ *ἱεῖδος* allegoriam: Cùm obliquus *Διὸς* seu Iouis, absque omni dubio sit ab Ebræo Iehoua, ut primam eo personam accipiamus: & altera *Ἡραὸς*, ac tertia *Πέρας* respondeant itidem Ebræis Er & Reuah, quorum illud Dominum, hoc Spiritum exprimit: ut iterum ea referamus ad secundam & tertiam personam. Quamquam neque illud negârim, historiam istam profanorum auctorum expositionibus planè deprauatam esse. Sicuti econtra de Semiramide verisimile fit, hanc eam è patris schola doctrinam hausisse. Neque enim à vero quorundam coniectura aliena, qui genitam patre Semo Nohæ filio volunt. Sanè & nomen ipsius congruit, nec multum Simmæ nomen, quod de altore Semiramidis Diodorus habet, discrepat. Cumque de Semo Hieronymi ad Euagrium testimonium in medio sit, quo testimonio is cum Melchisedeco idem asseritur, etiam filij Semi Arphaxadus atque Assar (de quibus ita à nobis alibi explicatum, ut illum Belum, Nimrodi successorem, hunc Ninum statuimus) reges, regnorumque conditores, & filia Semiramis regina credi potest.

Iam si cui in exempla inquirere libet, quæ receptarum semel religionum per citiatu sœuissimæque supplicia violentas coactiones proponunt, quid omnibus ætatibus v'sitatius fuisse, reperiemus? De Nabochodonosore quidem, qui in primâ monarchia floruit, paulo antè dictum. Et fancijt sub finem eiusdem legibus suis Solon Atheniensis: Ut ne quis in religione mutare aliquid auderet: quæ res postmodo calumniam primùm contra Socratem, deinde contra Aristotelem peperit. Qua immanitate tempore tertiæ monarchiæ grassatus in Iudæos sit Antiochus Epiphanes, rex Syriæ, ut Circumcisionem aboleret, contraque carnis suillæ usum cum sacrificijs Ethnicis genti obruderet, præter Maccabæorum libros Iosephi historia docet, & neminit Tacitus libro vigesimo primo. Tandem Romani Iudæa potiti, etsi *αὐτονομίαν* in religionis ritibus Iudæis permisere, mirum tamen quæ scriptores ipsorum conuicia in gentem effundant: de quibus qui volet præter alios legat Iuuenalem Satyra sexta & decima quarta, Plutarchum de superstitione, Iosephum contra Apionem. Horatius etiam & Martialis ita Circumcisionem exagitant, ut ille Iudæos nunc curtos, nunc apellas, hic recutitos vocet. Nec dubitârunt Florus & Apuleius eosdem impietatis, Cicero & Lucanus barbaræ & incertæ religionis insimulare. Post, hoc est, inde à Neronis temporibus Imperatores Rom. vehemèter sacrificia Ethnica, reges Persici è familia Artaxerxis

ignis cultum, quem à veterum Persarum memoria repetitum opinor, quique præclare ab historia tripartita describitur libro 10. cap. 30. aduersus Christianos vrsere. Hodie Pontificij acerrimè pro Missa sua propugnant, eaque ceu religionis nota aut norma quadam astringi ac reuocari ad Ecclesiæ suæ gremium omnes volunt, neque vt persiciant, stylum solum, sed etiam arma & omnis generis supplicia adhibent. Scimus quoque vt antè Sarracenos, ita nunc Turcas Alcoranum è peculiari decreto huius omnibus intentare. Nam de auctore Mahomete hæc inde à quibusdam citantur: *ὅτι καὶ ἡμεῖς δὲ θεοματῶν, ἀλλὰ δὲ τῶν ἑσθῶν δὲ τῶν νόμων, & πῆς μὴ τῶν εἰρημίων αὐτῶν θαύματος ἔσται ἢ πῶς ἐλατῆ φόβος δὲ ναί.*

Tertium repræsentant, & veluti ex diametro exprimunt, quæ de Persico numine Orimafda, seu igne sacro, auctorum monumentis prodita sunt. Nam Reges Persarum, vt veneratio inde ipsis maior conciliaretur, ignem hunc, impositum aræ, quam equus candidus preciosè ornatus gestaret, præferri sibi voluere: planè ad eum modum eademque pompa, qua hodie Pontificibus Romanis ipsissima quadam *ἀπολαύσις* panis mysticus præferri solet. Ac profectam inde consuetudinem suspicor, quòd vti itidem nunc Romani Pontifices (licet de aliò principio) adorari voluere. Quam iactans apud Plutarchum in vita Themistoclis Artabanus: Apud nos, inquit, cum multæ sint ac pulcræ leges, ea omnium præstantissima est, quæ honorare regem adorareque eum, tantamquam Dei omnia conseruantis effigiem, iubet. Hactenus Plutarchus. Quin & Israelitici Reges operam dedere, vt quo loco domicilium haberent, ibi & arca diuina esset. Nam cum Sauli temporibus hanc Gabaa habuisset, David Hierosolymam transfudit. Vbi de prædictione atque præscripto cælesti Solomon templo constructo, vt exinde ibi remaneret, perfecit. Quam rem cum ex regni æmulatione eleuaret Ieroboamus, & nouis Bethelæ & Danæ aris conditis, edicto ne quis Hierosolymam religionis causa peteret, sanxisset, horribili distractioni, multiplicique idololatriæ, occasione præbuit. Nec componi hoc in gente illa dissidium potuit, decem tribuum Israelitis maiorum exemplis sanctionem diuinam Deut. 12. de certo loco iactantibus. Et recrudit eadem contentio, decem tribubus iam abductis, cum successoribus in sedes eorum Cuthæis (Sic enim Iosephus patria lingua à Cutho fl. quem aliqui Cophen intelligunt, nominauit) seu Samaritanis, quod nomen eis sedes nouæ dedere. Nam & hi è Deut. cap. 11. Garizim montem prætulerunt: Et ædificauit tandem ibi genero suo Manassi, Iaddi Pontificis fratri, templum magnificentissimū Sanaballetes Satræpa, quod aliquot seculis post deleuit Iohannes Hyrcanus. Pertinetque eodem mulierculæ Samaritanæ in colloquio cum Seruatore Christo quæstio Iohan. 4. Præterea de Asmonæa apud Iudæos familiaribus Principibus legimus, Pontificatum eos cum regno coniunxisse. Et veteres Romani Cæsares se & Pontifices & Imperatores gessere: cum huius instituti initium à Lepidii morte fecisset Augustus. Neque obscurè Historiæ testantur, peculiare eam ad rem vestis genus, quam non dissimilem credere stolæ possumus, quæ diaconatus hodie appellatur, & inauguratis Imperatoribus indui solet, adhibitum. Nam veterem illam atque Ethnicam primum omnium ex Imperatoribus recusasse Gratianum Cæsarem, propterea quòd Christianum se esse diceret, Zosimus scripsit. Quod si nec cætera recentiora hæc exempla prætereunda, docet Sarracenorum historiæ, Caliphæ horum & reges & Pontifices fuisse: quoad Turci Babylonicum, Sarraco Hyrcanus, vt alij & ipse Turcus, Ægyptium seu Memphiticum, quem Cælius Augustinus Sultanum cognominatum ait, in ordinem redactos, tantum ad sacra astrinxere. Nec dissimile quiddam tentauit Bonifacius VIII. Pontifex Romanus, superstitioni Iubilæi anni auctor.

Quartum de ipsius euidens fit, quæ Strabo de Persarum regibus scripsit, nempe vt administrati regni memoria esset ad posteritatem durabilior, singulos in monte ædes fecisse. Pertinentque eodem quæ de insana pyramidum extructione auctores habent: pertinent Mausolea, colossi, obelisci, iactæ moles, qualis hodie Romæ Adriani Cæs. reliqua est: pertinent denique trophæa, columnæ, statuæ, & alia. Tamen si pyramides etiam ad alios vsus, in primis autem astronomicis obseruationibus, destinatas constat. Neque idem de turri Babylonica negarim, cum de astris horumque motibus & effectibus disciplina præcipuè in Chaldæis floruisse, perpetuo quodam scriptores consensu testentur.

Hæc cum ita sint, satis iam, ipsaque luce meridiana clarius, inde se aperit gentium omnium, sed tum adhuc eiusdem linguæ vsu coniunctarum, de rebus maximis, hoc est, religionis, corruptæ illius quidem, sed de qua tamen potissima parte conuenient, concordia, & pace publica sancienda, denique etiam de memoria ortus ac propagationis generis humani conseruanda, vnanimitas atque consensus. Quæ non minus ac superius de columnis duabus exemplum historiæ dignitatem commendant, cum qui ex libris expectari fructus assolet, eundem, librorum vsu nondû introducto, exquisitissimi operis extructio præstare posse videretur. Nec penitus, vbi dissipatæ atque in colonias distributæ gentes fuere, id studium deferuit, sed paulatim, præcipuè autem constitutam imperijs, exeruit sese vehementius. Quæ res vt planior fieret, tantum de nobilioribus subijcere hîc exempla visum fuit, ita quidem, vt quæ monarchijs inelaruerunt, primum recenseamus, deinde quæ cætera regna tenuere, sed cum iisdem litteras coniungere, at texamus.

Satis constat, in eodem loco, vbi à linguarum discrimine introducto, gentium dissipatio cœperat, nempe Babylone, etiam imperiorum, quæ in genere humano fuere, & Monarchiæ primæ fundamenta iacta. Primus autem regiam dignitatem sibi arrogauit Nimrodus. De quo nomine non inconcinna quorundam coniectura, qui de inuerso, & primæ syllabæ litteris *κσρτδ μσρτδ θσρτδ* transpositis, nomen Saturnus fecere. Postea monarchiam alternatim Chaldæi & Assyrij possedere. Et effloruit in his quoddam doctorum genus, qui de gente ipsa Chaldæi cognominati fuere. Sic enim Cicero: Chaldæi non ex artis sed ex gentis vocabulo nominati, siderum scientiam putantur effecisse. Ac celebrant exemplo non dissimili nostri annales in religiosis Teutonicos, vt vocant, seu equites Marianos, & Humiles Italos Monachos. Credere tamē de Chaldæis rectè posse videri, quæ de Persarum Magis veterum monumentis tradita sunt. Præerantque hi sacris & religionis cultui, tractabant litterarum studia, & partes eis incumbabant, res gestas memoriæ prodendi. Nam de his disertè Iosephus astipulatur, & monumenta ipsorum asseruata publicè fuisse, ait. Est & hoc manifestum, peculiare eos litterarum genus, quæ & Assyriæ & Chaldææ & Babylonæ & Syriæ nominantur, habuisse. Verum vt historiæ illæ temporum iniuria perire, ita Strabo plenas simplicitatis fuisse, asserit. Reliquum est solius Berosi fragmentum. Tametsi is non primam sed tertiam monarchiam attigerit. Vixit enim temporibus Alexandri Magni: suntque Plinij & Iosephi de eo testimonia in medio. Attamen idem fragmentum *γνησιον* sit, quæ dubitare nos cogant, causæ plurimæ sunt. Quod vt per se mirificum plenumque fabularum est, ita mirificissimus (liceat enim mihi Comici vocem istam retinere) interpretes Annij. Quippe qui id tantum agat, vt fabulas prodigiosas adhuc prodigiosioribus accumularet. Et vt semel dicam, planè nouus Berosus iste videtur, & sunt ita paucis, veris falsæ plurima immista, vt cum probare omnia nequeas, reijcere tamen penitus vix audeas.

Qui Chaldæorum & Assyriorum monarchiam ex cepere, Medi & Persæ, Magos, vt diximus, religionis & litterarum cultores atque antistites habuere. Hos alio nomine Suidas Ostanas nominauit. Nec in Perside solùm, sed etiam in Parthia, Bactriana, Cappadocia, Arabia, Ægypto, Æthiopia floruisse, diuersis auctorum monumentis docemur. Estque hinc fortè, quod eos Magos, qui primi ex Ethnicis Christum Deum adorauerunt, Iustinus Martyr ex Arabia venisse, censet. De potentia quidem ipsorum in Perside Herodoti historia suffragatur. Et scripsit Cic. lib. 1. de diuinatione, nec dissentit Philo. & conuenit Plato, neminem regem Persarum esse potuisse, qui non antè Magorum disciplinam scientiamque percepisset. Iidem monumentorum publicorum, & historiæ scribendæ, curam habebant. Et peculiare litterarum genus, quas Persicæ scriptores nominant, vsurpabant. Sed neque Magorum ad nos id genus libri peruenere. Nisi fortè quis Metasthenem, quem perperam aliqui eundem cum Megasthene, scriptore Græco, statuunt, cuiusque hodie fragmentum, neque ipsum penitus *αλεξιστριον*, extat, accensendum his existimet. Atque intelligo de iisdem Magorum libris quod est apud Strabonem, Persarum, Medorum & Syrorum res gestas, propter scriptorum simplicitatem, parum fidei reperisse. Nam de Cyri, Cambysis, Darij, Hytaspis & aliorum regum Persicorum commentarijs, quos cum Susiana Bibliotheca Iosephus citat, vt ne accipere possimus, multa prohibent. Etsi cum sese etiam hos secutum Ctesias affirmet,

vehementer tamen à Græcis impugnatur. Neq; segniter Persarum Reges rerum memoriae studuisse, cum exempla, quæ dixi, tum Estheræ & Esdræ historia planum faciunt. Nam, ut rectè inde quidam colligunt, habebant in thesauris non gemmas tantum, aurum & odores, quibus ad splendorem & luxum uterentur, verum etiam rerum à se atque ab alijs gestarum libros atque monumenta: Quos libros à curis & negotiis publicis vacui, aut aliqua molestia affecti, inspiciebant, cum ad animi iucunditatem in otio, tum ad leuationem ægritudinis in solitudine, in somnia, morbo.

Apud Græcos, è quibus Macedones Monarchiam Persis extortam sibi vendicauerunt, non vnum extitit doctorum genus. Vetustissimos omnium Cicero Poetas asseruit. Quos rursus insecuti Sophi seu Sapietes, & Pythagora auctore Philosophi. Quamquam altera alteram professio non aboleuit, sed ut nunc, ita olim etiam cõiuncta mansere. Ac censui me operæ precium facturum, si de ipsis litterarum elementis, quibus Græci vsi fuere, quædam hic paulo altius repeterem. Has Cadmo ductore in Græciam à Phœnicibus aduectas, indeque Phœniceas seu Punicas cognominatas, accepimus. Et scripsit Eusebius, formam quidem prorsus, sonum autem non multum mutatum: neque negat, tam hunc quam illam cum Ebræis conuenisse. Certè quidem Phœnicæ litteras non inuenisse, sed earum tantum formam mutasse, etiam Diodorus astruit lib. 5. cap. 15. Nec discernendæ Phœnicæ litteræ ab Ebræis. Nam gentem illâ lingua quoque Ebraica vsam, certum est. Inualuit tamen paulatim consuetudo, ut Ionice appellarentur. Estque cum primis memorabile, quod est apud Plinium lib. 7. cap. 57. Gentium, inquit, omnium tacitus consensus conspirauit, ut Ionum litteris uterentur, &c. Vnde est, quod & in regionibus omnium remotissimis, Britannia inquam & India, nec non Gallia, idque fortè auctoribus Druidibus, qui sine dubio accepissent à Massiliensibus, Ionum Phœnicum colonia, vsurpatas, cum alii tum Solinus scriptum reliquit. Ac meminit Tacitus, in Germaniæ & Rhetiæ confinio tumulos quosdam Græcis litteris inscriptos fuisse. Sed postmodò eadem etiam Atticæ appellatæ sunt. Et addidit Suidas, primùm Atheniënsibus, ut Ionicis uterentur, ab Archino quodam persuasum, cum viginti annis antè Babylonicarum vsus introductus fuisset. Maximè autè litteras apud Græcos excoluere Linus Thebanus, præceptor Herculis, Cecrops Atheniensis & Pausanias Argiuis. Ac postremus quidem etiam numerum adauxit. Quare factum inde, ut inuectores crediti fuerint. Cæterum à Poetis, qui & vates, plerique etiam sacerdotes essent, atque Augustino, qui Clementem sequitur, lib. 18. de ciuitate Dei cap. 14. Theologi, Paulo Apostolo Prophetæ dicuntur, denique vnde Varrò triplicem Theologiam fecit, *πομπικῶν*, seu *μυθικῶν*, *πομπικῶν*, *ἑρμηνευτικῶν*, & *θεογονία* tradita est, & historiæ Græcæ fundamentum iactum, sed ut fabulis omnia mista sint: quod quidem in gentis istius historia vulnus sanari deinde nunquã potuit. Et rectè omnino Strabo lib. 1. Prisci, inquit, historici atque Physici per fabulas scripta sua reliquere. Item Quintilianus: Græcis historicis plerunque poeticæ similis est licentia. Nec dubitat affirmare Pausanias, de rebus Græciæ controuersam esse historiam: quia, inquit, Græci exterarum gentium res accuratius exornantes, in maiore eas quam suas ipsorum miraculo posuere. Nominauit etiam de Theogonia ista Poetas Deorum figulos Gregorius Naffianus, Poeticam fabularem anile quoddam fabulamentum Coelius Rhodiginus ex Eratosthene. Et Iosephus eadem de causa Platonem à sua repub. cum alios Poetas, tum Homerum etiam amouisse, ait. Tamen in his ipsis fabulis sæpissimè historia lateat. Quam ut absque Ecclesiæ doctrina & scriptis elicere neuiquam licet, ita ubi illa tanquam ansæ quædam, *ἡ χεῖρα γρηγοῦσαι*, apprehenduntur, facilis se ad veritatem via pandit, & pro Cimmerijs tenebris clarissima se lux offert. Nam ut breuiter saltem rem delibemus, & à religione Græcorum ordiamur, certum est, Deastrorum nomina Ebræas habere notiones, & de appellationibus veluti per prosopopœias numina cõficta. Ac dictum quidem de aliquot, hoc est, Iouis, *Ἡῆρας* (Iunonis) Rheæ à nobis suprâ. *Ἀβελὴν* cõuenit cum Adonai, Dominus. Nec discerno Apollinis nomen, quod Latine linguæ in vsu fuit, à Baal, non item Cerberi, quem canem inferorum tricipitem Poetæ fingunt, ab Ebræo Scorpher, ut cum sanctissimæ memoriæ, maximique ingenij viro, Luthero, capita eius tria, peccatum, legem, mortem statuamus. Nam Græca notio, ut sit *κρεοφόρος*, carniuorus, concinnitatem nullam habet. Et alludit eodem alterum Orcus, quod tamen alij à Græco *ὄρκος*, quia per Stygiam

DE HISTORIÆ DIGNITATE.

Stygiam paludem Dijurârint, deriuant. Addatur his illud insuper, cum tot Deorum filij fingantur, omnino verisimile fieri, principium commenti istius de edita in paradiso ad primos parentes, & deinde aliquoties repetita, promissione extitisse. Sanè impègisse de intellectu huius etiam primam generis humani matrem, Euam, constat. Sed scèdissima omnium apud Ethnicos secuta inde *ἀνὰ ζῆνα*. Nam malignus ille spiritus, hostisque Dei & Ecclesiæ *ἀπονοδοῦ*, hoc egit, vt totam incertam redderet, planeque aboleret. Inde enim est, quòd & oraculis quidam salutati Dij Deorumque filij fuere, & Poetarum fabulis fermè innumeriprognati Dijs dicantur. Et reperti, qui huius impietatis se administratos præberent, fascinati superstitione vates: repertæ item demētææ mulierculæ, vel afflatus vel concubitus diuinos, sed quibus sæpe amissa stupris aut adulterijs pudicitia, vera turpitudine inesset, iactantes. Neque in veterum Philosophorum scholis, an plures mundi essent, mota quæstio aliud spectabat. Nam si concedamus, quòd Democritus asseuerauit, quòdque Alexandrum M. defleuisse, Ælianus scripsit, plures esse mundos, *κενὸν κενόν* relinquetur, cui ex his Seruator Christus promissus sit, & ad quem opus redemptionis, vt Ecclesiæ phrasi loquimur, pertineat. Est enim vni mundo non pluribus promissus, atque vt semel homo nasciturus erat, ita etiam in ea assumpta humana natura sequissimos istos pro delictorum nostrorum expiatione cruciatus tolerare, non in mundis pluribus vel alterum vel vtrunque repetere, voluit. Cætera de mortalium primordijs à Græcis tradita, demto fabularum tanquam inuolucro, fermè eadem, quæ sacris litteris commemorantur, reperimus. Quæ nos hîc singulatim retexere, adeoque ad viuum refecare, nec temporis nec instituti *ἀπέμνη* ferebat. Vnum id dico, quæ in Biblica historia extant Iapheti & Iauanis nomina, etiam ab vtriusque linguæ Poetis celebrari, sed modica inflexione mutata. Et si quis hoc iam nixus fundamento, Græcam historiã cū sacra coniunxerit, vix quicquã inuiũ habebit, sed pleno gradu extra salubras procedere poterit. Sic enim res se habet, vt antiquitatis fontes è sacrarum litterarum veritate, riuuli verò atque corrugi à Græcæ historiæ auctoribus, quique vestigijs horum insistant, petendi ac deducendi sint. Sed redeat ad id oratio, vnde modicè defleximus: & cum Poetas Poeticamque historiã paucis perstrinxerimus, nunc ad Sapientes pergamus. De quibus ita Eusebius de præparat. Euang. libro decimo, capite secundo, A Sapientibus, inquit, nihil aliud quàm sententiæ quædam commode, atque breuiter dictæ, ad vtilitatem humanæ vitæ, compertum est. Hactenus Eusebius. Nec conuenit inter auctores prorsus de numero eorum, variat etiam de nomine Dicæarchus Peripateticus: nam sapientes fuisse aut Philosophos negat: sed cordatos tantum & legumlatores. Ex cuius sententia Cicero in Lælio: Qui septem, inquit, appellantur, eos, qui ista subtilius quærunt, in numero sapientum non habent. Atque operæ precium ab eis in historia factum, nusquam legimus. Nec dubitat affirmare Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 25. monumentorum eos, quod ad litteras attineret, nihil posteris reliquisse. Attexo ergo nunc Philosophos. Quorũ scholæ vetustissimæ tres celebrantur: Prima Italica habuit conditorem Pythagoram: altera Ionica Thaletem: tertia Eleatica Xenophanem Colophonium. Sed postea in varias & mirificas sectas discessere, quoad Platonis & Aristotelis Philosophia (accidit hoc post captas bello Mithridatico à Sylla Athenas, qui tum libros Aristotelis inter reliquam prædam Romam transtulit) reuocata fuit. Tum enim paulatim omnes euanuerunt, & celebrari soli Platonici & Aristotelici cœperunt. Neque omittendum hîc erat, quicquid id genus doctrinarum Græcia habuit, profectum ab Ægyptijs fuisse. Vnde Macrobius Ægyptum matrem artium appellauit. Et scripsit nominatim de Eudoxo Laertius, cum is non tam peregrinandi studio, quàm vberioris comparandæ in litteris eruditionis gratia periturus Ægyptum esset, commendatum Nectanebi Regi & Sacerdotibus ab Agefilao Magno rege Spartanò. Cæterum omniũ primi Historiam apud Græcos oratione prosa Cadmus & Heceatæus, ambo Milesij, condidere. E Philosophis eandem primus scribere aggressus fuit Xenophon Atheniensis, quemadmodum auctor est Laertius: intermissamq; aliquantisper scribendi illam industriam tandem noua laude Timagenes reparauit, vt Quintilianus lib. 10. Quam Græcam historiã, vt hoc, obiter, & tanquã *ἀδελφὴν ἀπέμνη*, moneamus, inde Iosephus eleuauit, quòd principio gens ista monumentis publicis non studuerit, ideoq; certi nihil habuerit: Nam ne Athenienses quidem ante Draconem legibus scri-

ptis vfas fuisse: & Arcadas, qui vetustissimos se Græcorum iactarint, terò & vix litteras didicisse: Postea etiam in munus id promiscuè omnes inuasisse, & cum ad nullorū monumentorum auctoritatem alligati essent, liberè quæ vellent commentos: indeq; tot scriptorum istorum antilogias, mutuasq; insectationes exitisse: Audet deniq; hoc etiā affirmare, Græcos Troianis temporibus litteris caruisse: ideoq; Homeri Poema nō literis sed cantibus conseruatum. Verūm vt in his aliquid Iosepho demus, ita res tamen per se propterea non ruit. Nec mihi dubium est, magis hoc auctorem illū egisse, vt aduersarium Apionem, cōtra quem illa scripsit, quemq; Eusebius lib. 10. de præparat. Euang. cap. 3. Grammaticorum omnium diligentissimum historix perscrutatorem nominavit, quā historiam Græcam euerteret. Nam eam ad rē talibus quasi machinis operat. Et longè cautior, ideoq; verior eiusdem Eusebij tam in Chronologia, quā de præparat. Euang. ibidem ex Africani annalibus assertio est. Neq; enim omnem Græcæ historix fidē derogat, sed temporibus discrimen facit. Verba eius in Chronologia hæc sunt:

» Ab hoc tempore (intelligit autem Olympiadas, quarum principium collocatur in annum orbis conditi 3188.) Græca de temporibus historia vera creditur: nam ante hoc, vt cuiq; visum est, diuersas sententias protulerunt. Atq; de his hæc tenentur. Nunc & illud tenendum, cum litterarum & eruditæ doctrinæ cultu, diuersarum chartarum vsum apud Græcos Græcicæq; originis gentes introductum. Qua de re cum etiam in sequenti Chartæ, inquit, vfu maximè humanitas vitæ cōstat & memoria. Et hanc Alexandri Magni victoria repertam, auctor est M. Varro, condita in Ægypto Alexandria. Antè non fuisse chartarum vsum: in palmarum folijs primò scriptitatum: deinde quarundam arborum libris. Postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & priuata litteris, confici cœpta, aut ceris. Pugillarium enim vsum fuisse etiam ante Troiana tempora, inuenimus apud Homerum. Et paulo post: Mox æmulatione circa bibliothecas regum Ptolemæi & Eumenis, supprime chartas Ptolemæo, idem Varro membranas Pergami tradidit repertas. Postea promiscuè patuit vsum rei, qua constat immortalitas hominum. Hæcenus Plinius, qui sequ. cap. disertius de generibus chartarum disputat: vt pote quibus summi Imperatores auctoritatem suam occommodarint. Certè quidē de plumbeis voluminibus habet exemplum simile de Hesiodi carmine, quod opera inscriptum est, Pausanias in Bœoticis: Quem locum cum plerique non rectè citent, hæc ascribo: Bœotorū, inquit, populi, qui circa Heliconem domicilium habent, ex opinione quadam à maioribus accepta, Hesiodum negant aliud quicquam, præter illud poema, quæ Opera appellantur, scriptum reliquisse: quin & ex eo Musarum inuocationem, quæ in exordio est, remouent, principium statuentes carminis eum locum fuisse, qui de Contentionibus est. Quin & plumbeam mihi tabulam ostenderunt iuxta fontem positam, in qua scriptum est carmen illud ipsum, quæ Opera inscribuntur. Hæcenus Pausanias. Quod si etiam Q. Septimio de Dictys historia fides debetur, tradidit ille, eiusdem historix libros ex phylis seu tiliis confectos, & litteras quidem Punicas, verba verò Græca fuisse. Et mirus Ostracorum in Ostracismis apud Athenienses, & Scytalarum apud Lacedæmonios vsum exitit, de quo præter alios Plutarchus. Tametsi neque nihil sit, quod opponi è Iosepho & Herodoto de membranis possit: estque notum Græcorum adagium; *ἀρχαιότερα διφθέρας καλεῖς*: & alterum: *ὁ Ζεὺς καλεῖ δὲ χρὸνός ἐστι τὰς διφθέρας*: vt vsum harum Pergami redintegratum potius, quā inuentum, credere libeat. Atque inualuit vsum, vt Pergamenas etiam nūm inde appellemus. Obseruetur præterea de nomine charta, esse quidē Tyro, quæ ita principio appellata fuerit, deriuent. Sed id totum in medio relinquitur. Nam Gellius eandem urbem alio nomine non Chartam sed Sarranam nuncupatam, ait. Est autem id Ebræum Sor, quod & recentiores annales retinuerunt, dicunturque inde aulæa Sarrana Iuuenali, Ostrum Sarranum Virgilio. Quod si cui fortè nomen Charta idem cum Ebræo Kariath, cui urbis significatio inest, credere libet, vt κατ' ἐξοχὴν ita Tyrum appellatam statuamus, quemadmodum per urbem in Latina lingua Romam intelligimus, nihil reclamārim. Sic enim conuenit, quod Seruius è Pœnorum historia & Liviō retulit, Carthaginem de prima ista Tyri (huius enim colonia fuit) appellatione denominatam, cum sit Ebræum Kariath Ja, ciuitas Dei. Ceterum etsi chartam Pliniana illa, quæ diximus, elogia satis commendent, addo tamen hic &

hic & Oracianum è libro quarto Carminum Ode octaua:

— Neque

*Si chartæ sileant, quod benefeceris,*

*Mercedem tuleris. Quid foret illæ*

*Mauortisque puer, si taciturnitas*

*Obstaret meritis inuida Romuli? &c.*

Euerfa autem Græcæ monarchiæ regna à Romanis fuere: quorum sacra & religio ut Græcæ affinis extitit, ita etiam lingua habere de Græca principium existimatur, sic ut respondeat dialecto Æolicæ. Nisi quòd ex Hetrusca & reliquis finitimarum gentium linguis multa postea admista sunt, itaque paulatim in aliam, & à Græca diuersam, quasi degenerauit. Quòd si neque origo Romanorum hinc reticenda, reperimus eam partim Græcæ partim Troianæ stirpis fuisse. Neque de hac quicquam addo: illa per Latinos ad Arcadas potissimum atque Ceteos, qui Cethimi, Iauanis F. censentur soboles, pertinet. Et Arcadas quidem ab Euandro, edito regum Arcadiæ prosapia, Ceteos ab Latino, Telephi F. in Italiam ductos perhibent. Ad eundem Euandrum etiam Latinarum litterarum primordia referuntur, cum antea vsus harum Italia ignorasset. Sanè ita Tacitus: Formæ, inquit, Latinis litteris, quæ veterrimis Græcorum. Et explicant de tota ista re adhuc disertius Polybius, Halicarnasseus, Suidas & Plutarchus è Iuba rege. Quâquam postea cum Hetrusca disciplina etiam litteræ Hetruscæ Romanis innotuere. Verum & has Græcam originem habuisse & Demarato Corinthio auctore, à quo genus Taturnij reges duxere, per Hetruriam propagatas, Tacitus scripsit lib. II. Caterum Historiam condendi munus principio Romæ penes Pontifices fuisse, accepimus. Sic enim Cicero lib. 2. de Oratore. Erat, inquit, Historia nihil aliud, nisi annalium confectio. Cuius rei memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum vsque ad P. Mutium Pont. Max. res omnes singulorum annorum mandabat litteris Pontifex Max. efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: ij qui etiam nunc annales maximi nominantur. Hactenus Cicero. Cui disertam mentione astipulatur Vopiscus in vita Taciti Cæs. Alibi tamen Cicero his Pontificum Annalibus nihil fuisse nudius, ait: quippe qui nō exornatores rerum sed narratores tantummodo fuerint: primumque omnium Historiæ maiorem vocis sonum Cælium Antipatrum, Crassi Oratoris familiarē, addidisse. Nam sicuti apud Græcos, ita & in Rom. rep. munus istud patere tandem omnibus cœpit: suntq; inter hos Romanæ historiæ scriptores antiquissimi Fabius Pictor, Piso, Cato. Sed nec de Fastis hinc prætereundum erat, primum eos à Scriba quodam, Cn. Flauio, prolatos, teste Cicerone: Quos Fastos ita ab Annalibus differre, ut hi Pontificum, illi Prætorum censeantur, nemo est, qui nesciat. Est & hoc memorabile, quod traditum est à Dione, ante Augusti Cæsaris monarchiam omnia, etiam quæ procul ab vrbe agerentur, Senatui populoq; recitata fuisse, ideoque multos ea stylo persecutos. Et quamuis, inquit, non deerant, qui metui aut gratiæ, inicitiaq; vel amicitia in condenda historia aliquid tribuerent, tamen apud reliquos, ac in publicis commentarijs, veritas reperiri quodammodo poterat. Verum à tempore mutata reip. quia pleraq; occultè agi cœperunt, parum fidei eorum narratio inuenit: quin etiam si quid apertè ac publicè ageretur, tamen ei quoq; non multum certitudinis, rei quippe non satis exploratæ, tribuitur. Est enim suspicio, omnia dici agiq; ad arbitrium Imperatorum, eorumq; qui horum sunt potentia comites: inde fieri, ut multa conficta diuulgentur, deniq; omnia secus, quàm euenerint, edantur. Iam ipsius etiã Imperij moles, ac rerum multitudo, effecit, ut difficillimum sit, omnia accuratè memoriæ prodere. Etenim permulta quotidie Romæ, multa in sociorum regionibus, multa contra hostes geruntur, de quibus præter eos, qui ea conficiunt, nemo quicquam certi cognoscit, pleriq; etiam ne facta quidem audiunt. Hactenus Dion. Quibus addatur è Plutarcho, Clodiam quendam scripsisse, antiquos illos temporum commentarios in Gallica vrbe calamitate, seu cum capta illa esset à Brenno, rege Senonū, perijsse. Vnde Liuius, quæ antequam conditam condendamue urbē, Poeticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerū gestarum monumentis, tradantur, nec affirmare sese, nec refellere velle, ait. Et alibi: In rebus antiquis, inquit, si quæ similia veri sunt, pro veris accipiantur, satis habeã. Postremum, quod ad Romanam historiã, Romanasq; seu Latinas litteras, pertineret, nec præ-



tereundum hinc videretur, erat de charta, in quam litterarum veluti vis se extendit, vsu. Pater autem is ex historia de libris Numæ regis repertis, quàm cum alij tum Plinius habet lib. 13. cap. 13. Et sæpe Liuius linteos libros citat. Cui ita Vopiscus suffragatur, vt Aurelianus Cæs. redigi cotidiana sua in linteos libros iussisse, dicat. Idem etiam Senatus-consulta in elephantinis libris perscripta fuisse, ait. Et alibi Firmi è charta reditus ferme incredibiles nominat. Solum Domitianum Cæs. tabulis tiliaceis vsu legimus. Estque nec illud scitu ac relatu indignum, quòd Herodianus libros è philyra in vtramque partem replicabiles fieri solitos, tradit. Quibus an Ciceronis palimpsestus, seu, vt alij scribunt, palinxeustus, respondeat, iudicium sit penes doctos.

Discerptam Romanam monarchiam a quatuor potissimum gentibus legimus: in Oriente à Sarracenis: in Occidente ab Germanis, Hunnis seu Vngaris, & Henetis vel Slauis. Ac secuta in his rursus eæ vice, vt in Oriente Sarracenos potentia parte maxima Turci exuerint, occupatoq; Byzantio, non paucas Henetas gentes oppresserint, deniq; etiam Vngaria partem præcipuam sibi vendicârunt, iamq; finibus cum nostris coniunctis etiam ceruicibus nostris immineant. Sed nihil hinc de Henetis, nihil de Hunnis addemus. Nam diu vel nostri vel Byzantini Imperij maiestatem agnouerunt, simulque alterutrius religionem & litteras, Græcas dico vel Latinas, receperunt. Tradidit & hoc peculiariter de Vngaris Beatus Rhenanus, scribere eos linguam suam Latinis litteris primùm illa ætate, qua ipse in vita esset, cœpisse. Quæ ergo reliqua est de gentibus primarum monarchiarum vel possessis vel discerptis claruere, expositio, tanquam limites de Germanis, Sarracenis & Turcis habeat.

Manifestum autem atq; apertum Iosephi auctoritate est, vno & eodem Gomeri, Iapheti F. satum tam Gallos quàm Germanos, seu vt ipse communi nomine appellauit, Galatas propagatas. Sed illud, à quò alterum Galatarum nō nisi enunciatione discerno, vt vetustius, vel potius vsu notius, ita & cōmunius erat. Etenim, vt iam è Iosepho diximus, complectebatur vtrosq;: Suntq; eadē de re Diodori, Dionis, Suidæ & aliorū probatorū scriptorū testimonia in medio. Cæsaris temporibus secerni à Gallis Germani cœpere. Verùm hæc attingenda hinc, non explicanda duximus: & pertractatum id à nobis etiam argumentum alibi vberius. Nunc ea, quæ propriè ad institutum nostrum pertinent, at-  
 texo. Ac primùm de Gallis teneatur, his nec litteras nec litterarum cultores defuisse. Illas à Massiliensibus, qui Ionum Phocensium in Gallijs colonia fuere, profectas Strabo scriptum reliquit. De his ita Cæsar explicauit, vt vno nomine Druidas nūcupârunt. Facit enim Gallorū, qui in aliquo numero & honore essent, genera duo, Equites & Druidas. Tamen si de postremis assertio ab alijs aliter oppugnetur. Nam Laertius ex Aristotele & Sotione quodam de Gallorum sapientibus differens, hos in Druidas & Semnotheos distinxit: Strabo in Druidas, Vates; Bardos: Marcellinus in Bardos, qui fortia virorum illustrium facta, heroicis composita versibus, ad lyrā cecinerint: Eubogas, qui sublimia naturæ perferutarentur: Druidas, qui rerum occultarum quæstionibus occuparentur, humanaq; despectarent, & animas immortales assererent. Verùm vt nihil his derogamus, & sua merito Helmoldi historiæ fides constat, qui Bardos inter Saxonum gentes numerauit, ita tamen Druidum nomē cōmunius fuisse, reperimus. Sunt autem lectione dignissima, quæ de his Cæsar habet Comment. de bello Gallico lib. 6. Plinius eisdem Gallorum Magos nominauit, & nomini notionem Græcam, ac si dicas Dryadas, propterea, quòd nullum sine roboris fronde sacrum facerent, attribuit. Sed hoc vt fabulosum repudiamus. Respondet enim Germanico Druden, vnde & alterū Gerdrudis reliquum, vt intelligamus Deo acceptos & gratiosos. Sic enim & Burgundos summum sacrorum antistitem suum Sinistum, qui maximè placare Deum nosset, appellasse, Marcellinus auctor est. Primus autē religionem Druidum ciuibus Romanis interdixit Augustus Cæs. Postmodo penitus aboleuit Claudius, quem admodum est apud Suetoniū. Nam cætera eis integra mansisse, neq; ordinem sublatum, & ipsam deniq; superstitionem quasi repullulasse, multis historiarum argumentis planum fit. Certè mulieres Druidas fatidicas Alexandro Mammeæ Cæs. interitū, posteris Claudij, à quibus oriundus Constantinus Magnus fuit, & Diocletiano imperiū prædixisse, apud Lampridiū & Vopiscū legimus. Et celebrat Druidum profapia editum Attium Pateram Rhetorem Ausonius. Apud Germanos sua etiam ætate tam viros quàm feminas litterarum secreta ignoraf-

ignorasse, prodidit in Germania sua Tacitus. Eisdem tamen rerum memoriæ seu Historiæ iam inde ab initio mirificè studuisse, de carminibus illis antiquis, quæ itidem Tacitus nominavit, & sola annalium vsum præstitisse asseuerat, euidentis fit. Nec improbatim, quod ab alijs traditum est, vt reliquam Druidum disciplinam, ita & Græcas litteras paulatim in Germaniam propagatas. Certè maioribus nostris non ignotas fuisse, coniecturæ multæ addocent. Irrepsitq; inde in Ecclesiasticos manuscriptos codices ineptâ nominum Iesus Christus scriptura. Nam cum Græca abbreviata hæc sit IHS. XPS. librarij Græcarum litterarū rudes hæc Latinis, sed litteris aliquibus nihil prorsus eò pertinentibus, verum in quibus Græcarum vestigia agnoscas, Ihs Xps, permutarunt. Estq; nec illud abs re, quod Glareanus obseruauit, nempe elementis Græcis scribi linguâ nostrâ facillè ac percommodè posse. Quod si quid hoc etiâ huc facit, scripsit in Metropoli de Carolo Magno Crancius, eum, cum Osabrugensem Episcopatum (habuit aut hunc Saxonia, hoc est Westualia: quippe quæ eidem Crancio vera & vetus Saxonia dicatur: omnium primū) fundaret, nominatim cauisse, vt collegiū perpetuò Latinas & Græcas Scholas haberet: & ipsi loci istius Episcopo delegatū munus fuit, vt legationes ad Græcos obiret. Verumenimvero, quemadmodum ipsum imperij Romani *ἡ ἑλλάς* cum Occidentis provincijs præcipuis tandem gentibus nostris cessit, ita & litterarum Romanarum seu Latinarū vsurpatio apud easdē præualuit, sed forma nonnihil mutata, id quod & de alijs nonnullis euenisse scimus. Et tradidit Pontacus, linguam Germanos suam litteris Latinis primū circa annum Iesu Christi 1238. scribere cœpisse. Quod tantum de publicis tabulis, & alijs monumentis, accipiatur. De his enim Germanos eandem cum ceteris gentibus consuetudinem obseruasse, hoc est, Latina lingua vsos affirmat Beatus Rhenanus. Et si idem Latinarum litterarum in nostra lingua scribenda vsum non paulo recentierē fecit: nam retrò annis 150. cœpisse dicit. Cum interim nō neget, apud Francos penè cum ipso Christianismo introductū. Et certè quidem de ceteris idē credamus, necesse est: Nisi à litterarum tractatione promiscuè omnes, qui Latine docti nō essent, excludere velimus, ita vt absque interprete vel agere vel intelligere nihil possent. Sed redeo ad historiam Germanicam, cuius primordia paulo suprâ scripsi. Nec desijt ea sequentibus seculis de carminibus patrijs cōsuetudo. Sunt enim eius generis, quos vulgò magistrales cantus appellant. In quibus Patrum memoria desudatum mirificè comperimus. Nunc tanquam vmbra seu vestigium videre in quibusdam Imperij vrbibus licet. Et *καὶ τὰ μὲν ἰβήροις* appellari posse videntur. Sanè antiquis illis carminibus etiâ Carolū Magnum, qui primus augustam Cæsarum dignitatē Francis, hoc est, Germanis (nam Germaniā postea Romanis Franciam dictā, meminit in vita Hilarionis Hieronymus) cōciliavit, vehemēter delectatū, ita quidē vt scripserit & memoriæ mādārit, inchoata simul patrij sermonis, id est Germanica (id enim satis è mensū & ventorū nominibus ab eodē traditis patet) Grammatica, Eginhartus auātor est. Neq; ego dubiū vllū habeo, idē ceteros omniū ordinū exemplū imitatos, indeq; vsuuenisse, vt gentis nostræ historia litteris mandaretur, seu potius quædā huius fundamēta iacta. Nā quæ huic rei plus fidei faciāt, Episcopatus sunt & collegia tā Sacerdotū quàm Monachorū. Hæc enim cōdi iam antè cœpta Carolus non solū amplificauit, sed etiâ numero auxit, fundatis nouis monasterijs ad numerū litterarū alphabeti, vt loquitur Engelhusius. Atqui vtraq; principio scholas fuisse, non obscure foundationū diplomata docent, suffraganturq; ipsa officiorū nomina adhuc reliqua, & planissimè annales conueniunt. Quoad sacerdotes de partibus religiosā maiorū beneficentia opibus, luxu & voluptatū studio victi (Est enim verissimū illud, quod Bernhardo Clareuallensi attribuitur: Religio peperit diuitias, & filia suffocauit matrē) atq; ad inanes ceremonias cōuersi, paulatim docendi munus deseruere: Et Monachi, in quibus hoc resedisset, omnia superstitione & barbarie scēdārun. Quæ res deniq; Principibus necessitatē academias cōdendi expressit, cum & harū Carolus principū quoddā de Luteciensi Parisiorū & Ticinensi fecisset. Ac fuere quidē ab hoc tempore cum reliquarū disciplinarum, tum & linguarū studia ita instaurata, vt Argyropylos Romæ ad Capnionem exclamasse perhibeatur: Græciam Græcorū exilio transuolasse Alpes. Cæterum occasione doctrinæ publicæ etiâ munus historiæ scribendæ tā Sacerdotū collegijs quàm Monachorū sodalitatibus permāsit. Prodieruntq; ex ista veluti of-

ficina annales, qui hodie reliqui sunt. Nam vel Episcopos vel Sacerdotes vel Monachos auctores cognoscas. Quibus ut studium & diligentia non defuit, ita hoc merito culpes, quod antiquitatis cognitionem & remp. neglexerunt, & plerique omnes magis demerendo Pontifici Romano quam veritati & patriæ studuere. Atque hinc sunt in Germanica historia vulnera, quæ haud scio an in tanta socordia nostra, eodemque antiquitatis contemptu, sanari possint. Quotus quisque enim omnium ferme ordinum reperitur, cui earum curæ sit: quàm multos contra videre est? qui aliorum stultitia frui, quemadmodum habet celebre illud Mutiani apophthegma, quàm ipsi aliquid luce dignum præstare malint. Sed hæc abrumpo: & quicquid huius à me prolatum, non notandi cuiusquæ gratia, sed ut plurimum studium incitaretur, accipi volo. Nunc adijciendum illud videbatur, cum cæteris gentibus tû nostris etiã tam in alijs disciplinis, quàm in historijs excolendis, longè maximum subsidiũ è nouo chartarũ genere de linteolis cõtritis confecto, accessisse. Qua de re libuit adijcere, quæ in hæc verba differuit Sipontinus: Postea, inquit, id genus chartæ inuentum est, quo nunc passim mortales vtuntur, sitque ex linteolis contritis, & nihilominus pristinum papyri nomen remãsit, & distinctio generũ. Nam subtilis illa epistolaris & angusta vocatur, & altera cõmunis, siue amphitheatrica, siue Fanniana: & grossior illa, atque inutilis emporctica, & vltima bibula. Claudia verò illa grandior crassiorque à rege nunc regalis dicitur. Hæc dente propter scabriciem, aut concha leuigatur: propter quod minus sorbet, & ob id caducæ litteræ fiunt. Quæ causa impulit nos, vt genus aliud chartæ inueniremus, quæ tenuitate, densitate, candore, leuore, phyluræ longitudine & commodior est, & aspectu gratior. Hanc opifices è nostro nomine Perottã nunc cupauerunt. Hactenus Sipontinus. Nec de auctore cõstat. Et plus adhuc emolumentum præstatum artis typographicæ inuẽto. Huius enim beneficio quicquid est doctrinarum instauratum ac propagatum fuit. Attribuitur autem idem inuentũ viro equestris dignitatis atque ordinis Iohanni Gutenbergio, Franco, quẽ Mogũtiæ vixisse, accepimus. Et collocantur à Polydoro Virgilio ipsius artis primordia in annum Iesu Christi 1442. Et si, ut hoc *παρρηγορῶ* commoneam, nõ desunt in exteris hominibus, qui eam genti nostræ laudem ita inuideant, vt plus quàm Theonino dente arrodam. Nec tali in mentione nominare id genus auctores libet, non etiam, quæ contra afferri possent, inculco. Sufficiat solum Pauli Iouij, hominis Itali, & alijs genti nostræ in historia sua iniquioris, testimonium: Offeritur nobis, inquit, lætissima leges ab ipsa mirabili Germanici cœli fecunditate. Occulta hercle syderum commutatione euẽnisse arbitramur, vt illud cœlum mollestis Boreæ flatibus, frigore geluque damnatum, horrida dudũ torpentiaque ingenia mollierit ac excitãrit. Neque enim contenti sua veteri militiæ laude, qua Martium decus Romanis, gentium victoribus, ereptum stabili disciplinæ seueritate feliciter tuentur, ipsa etiã pacis ornamenta, litteras optimasque artes decoquenti Græciæ, ac Italiæ dormitanti, quod pudeat, abstulerunt. Patrum siquidem nostrorũ memoria, architecti in primis, ac exinde pictores, statuarij, sculptores, mathematici & perargutæ manus artifices, ac item aquileges septempedarijque mentores è Germania petebantur. Nec mirum, cum antea inusitatæ & portentosæ inuentionis creas formas excudendis libris, & formidanda bello ænea tormenta nobis attulerint, &c. Item alterum Philippi Beroaldi Galli carmen huiusmodi:

*O Germania, muneris repertrix,  
 Quo nihil utilius dedit vetustas,  
 Libros scribere qua doces premendo.  
 Felix frugibus, inclyta & metallis,  
 Et diues pecoris feraxq; gemma,  
 Quod glessum vocitant tui parentes,  
 Electrum Attica, succinum Latini:  
 Pollens principibus, potens virorum,  
 Qui glaucis oculis comaque flaua,  
 Grandes corpore, spiritu feroces,  
 Septi robore, prodigijs, vitæ  
 Hostes aggrediuntur & laceffunt.*

Sarraceni inter Arabes censentur, quorum vt cætera instituta, ita hoc etiam, quod artes

artes hereditarias habuere, eis cōmunia fuisse, cur dubitemus, causa nulla esse videtur. Et notæ hodie etiamnum litteræ, quas Eusebius Sarracenicæ, nos vulgò Arabicas appellamus. Nominat autem Arabum sapientes Magos Plinius. Nam Lucianus non nihil discrepans, fabularum apud Arabes interpretes Chaldæos fecit. Est & hoc scitu non indignum, quod scripsit Eusebius, Nehemiam litteras Iudaicas mutasse, ne Sarracenis miscerentur. Tamen si verò origo Sarracenis asseratur vetus (sunt enim iidem, qui Agareni vocantur, hoc est Abrahami de Agare progenies) & quædam Christianismi initia attri- buantur, in primisq; memorabilis sit Alamundari principis de Eutychia, furoris propu- gnatoris acerrimi, Seueri Antiocheni, legatis ingenioso commento elusis, ac refutatis, historia, tamen ante Mahometum obscuriores fuisse, reperimus. Hūc enim doctorem atq; ducem naçti, ea, quæ recentioribus annalibus celebrantur, regna condidere. Con- statq; Mahometū ipsum, si non nomine, at potestate, & regē & Pontificē se gessisse, atq; idem exemplū posteros vsq; ad tēpora Turcica, dignitate & nomine Calipharū, quibus ad eum modum successores Seriphes adiuncti essent, quo Patriarchis Cōstantinopoli- tanis Syncelli, Episcopis nostris Coadiutores, quos vocāt, obseruasse. Cæterum vt reli- gionem Sarracenorum blasphemā meritò omnes, qui Christiano nomine cēseri volu- mus, execramur, & Eustathius ille Thessalonicēsis commotius quidem, & fortassis etiā inuerecundius, curiosum illum Manuelem, Cæs. Byzantinum, retudit, cūm diceret, ce- rebrum se detritū in calcibus gestare videri posse, si Deum censeret verum, Mahometi Deū impurū & vastum, scedissimarumq; actionū magistrum atq; doctore, deniq; etiā in ipso Mahometo <sup>ἡ ἀβρίξιστον</sup> liquidissimè agnoscas, ita ceteris tamen gens illa imperiorum ornamentis non planè caruit. Nā Medica & Astronomica studia vt quàm diligentissimè excoluere: de quib. Friderici II. Cæs. liberalitate in Latinā linguā versi auctores hodie etiamnū supersunt. Neq; neglecta ab iisdē historiarū tractatio fuit: qua de re passim Io- an. Leo Afer, qui nō solum annales, sed etiā Historicos ipsos nominauit. Ac licet id ge- nus monumēta ipsorū ad nos nō peruenerint, est tamen plana annorū Legiæ (alij He- giræ vocant) ratio, quorū principiū Cælit. Augustinus Curio collocavit in annū Iesu Christi 593. Et estimare amplius gētis circa historias studiū inde possumus, q̄ Muleasses, rex Tunetanus in Africa, regia Tuneto, cū à Carolo V. Cæs. restitueretur (fuit hoc anno Christi 1535.) à furente milite direpta, p̄cipuè amissa Arabica volumina, quæ & superiorū regū res gestas, & Mahometanę superstitionis interpretationem continerent, deplora- uit, ita quidem, vt vnus vr̄bis precio, si fieri posset, auidè redempturum sese affirmaret.

Turci Sarracenorum prouincijs potiti, religionis quidem, iam antè etiam susceptæ, ritus retinuerūt, sed ad litteras nequaquam idem studium attulere. Satis tamen cōstat, & suas illos scholas habere, in primis aut vehementer historiarū lectione delectari. Ex- empla de Mahometo II. Selymo I. & Solymano, familia Othomana Imperatoribus, in medio sunt. Cui alij addunt, nō paucos historiarū Turcicarū libros ab eadē Othoma- na familia in thesauris asseruari: sed quos publicari nō patiatur. Cūm quidē si id fieret, q̄ de illa inter scriptores Græcos, hoc est, Laonicū Chalcocondylē & Michaelē Glycā, ac Latinos, hoc est Frānciscū Philephū Iouiū & alios cōtrouersa est, sedari facillimè posset.

Atq; hæcenus gentiū, quæ monarchiarū participes fuere, vel decerptas inde prouin- cias sibi vendicârunt, exempla breuiter p̄strinxisse sufficiat. Nūc ad reliquas, eas inquā, quæ extra monarchias regna libera habuere, ac bonorū auctorū monumētis celebra- tur, pergo. Nam recentiores peculiari hīc mentione attingendas non putauī. Sunt au- tem inter veteres illas facillè principes: Ebræi, Ægyptij, Phœnices, Lydi, Indi, Hetrusci.

Ebræis, qui oriundi ab Eber, pronepote Semi, fuere, inde præ omnibus alijs populis prærogatiua accessit, quòd non solum linguam, sed etiam religionem generis humani primā (nam cæteræ omnes p̄st inuectæ fuere: Vnde rectè Tertullianus: Antiquissimū quodq; verissimum est) vnā cum litteris & disciplinis à patribus inuentis retinuerunt ac conseruârūt. Cognominata autem lingua de illis Ebræa est: qua locutus Deus ipse fuit, locuti sanctissimi Patres & Prophetæ, locutus denique seruator ac sospitator Christus. Suntq; eadē libri cōscripti, qui in Ecclesiā veteris Testamēti appellatione veniunt. Nā ad nouū pertinētia Apostolorū monumēta, Græca lingua vel scripta vel versa sunt. Est & hoc de litteris Ebræis memorabile, qd̄ traditū est ab Eusebio, nepe singulis peculiare significatū inesse: quod cū in cæterarū gentium litteris desideretur, & Græcarū sonus

cum Ebræis conueniat propius, idem auctor inde probat, Græcas ab Ebræis derivatas. Quanquam non de his solum, sed & de alijs id certum sit. Cæterum quod attinet ad doctrinam Ebræorum atq; historiam, quæ præter creationem rerum, & primordia generis humani atq; Ecclesiæ, tū patefactiones tū promissiones diuinas proponit, eā principiò, hoc est, à diluuiò vsq; ad Mosen ferè quasi per manus sibi inuicè Patres tradidisse apparet. Neq; enim monumenta horū alia, præterquā quæ de columnis duabus supra diximus, memoratur. Et forsitan inde vaticinii Enossi memoria mansit, quod habet epistola Iudæ Apostoli. Nā quæ scripta Patrū à plerisq; suo tempore circumferretur, ut in Iudæis quàm Christianis suspecta fuerint, nimia antiquitatē fecisse, Augustinus tradidit de ciuitate Dei lib. 18. cap. 38. Primus autē Moses, ut credere par est, ex inspiratione cœlesti, scripto complexus fuit. Et debemus quidē huic operæ eius, quicquid de tantis rebus ad nos peruenit. Etsi de gentium migrationibus, primisq; Imperijs, luculentiores historiæ eius expositiones insertas fuisse, nō possumus nō omnes optare. Post Mosen eadē partem Pontifices & Prophetæ sustinuerunt. Nec de his addendū quicquā duxi, nō etiam obscura è Biblicæ historiæ expositionibus exempla sunt. In illis quæ obseruata fuerint, ad amissim Iosephus persequitur lib. 1. contra Apionē. Vbi & hoc nominatim tradit, eam gentis Ebrææ historiā vsq; ad Artaxerxem Longimanum certam & indubitata esse. Exinde enim cū nō esset eadem Prophetarū successio, etiam historiæ auctoritatē labefactatam. Postremus hoc munere defunctus est, quo tempore Hierosolyma de prædicatione Seruatoris Christi secundū excisa à Romanis fuit, Iosephus ipse, Sacerdotū & Pontificū genere editus, id quod aliquoties inculcat, ita quidem ut maternū genus ad illustrē domū Asmonæam referat. Et cū doctrina Ebræorū, qui paulatim & Israelitæ & Iudæi dici cœpere, iam pridem corrupta esset, tum etiam libertatem gens amisit, exindeq; planè seruili conditione permansit. Addatur his, quod de litteris Ebræorū mutatis habet Hieronymus in præfatione in libros Regum: Certū est, inquit, Esdræ scribam, legisq; doctorem, post captam Hierosolymam & instaurationem templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse, quibus nunc utimur, cū ad illud vsq; tempus iidem Samaritanorum & Ebræorum characteres fuerint. Hactenus Hieronymus.

Ægyptij à Græcis hoc nomine, patria verò lingua de conditore Mizraimo, quæ quidam eundem cum Osiride statuunt, appellati, omnis generis doctrinas excoluerunt, & regnum inde ferè à gentis origine amplissimū habuerunt. Fuit autem doctrinarū istarum possessio penes Sacerdotes, quos Clemens Prophetas, Suidas Gymnos, Eusebius vocabulo Ægyptio Arsepedonaptas vocant, eaq; hæreditaria, quemadmodum habet Diodorus. Vnde triplices Ægyptiorum litteræ memoratur: communes, quæ vulgò Sacræ, quæ solis Sacerdotibus in vsu essent, & eæ, quæ ἱερογλυφικὰ γράμματα Græcis dicuntur, atq; ut loquitur Tacitus, figuræ animalium saxæ erant. Nā, ut idē subiicit, antiquissima monumenta memoriæ humanæ saxis imprimebantur. Et sanè etiam è sacrarum litterarum historia conueniunt, quæ de duabus ante diluuium columnis supra retulimus, quæq; ite de decalogi tabulis lapideis prodita sunt. Ac memorant recentia peregrinatorum itineraria, Alexandria marmoreum obeliscū superesse, qui veteres Ægyptios characteres, & cū aliarū animantiū, tum auium diuersi generis formas insculptas habeat. Incumbebat præterea iisdem Sacerdotibus historiā gentis in litteras referendi munus, ut Iosephus. Cui Plato addidit, regibus adiunctos fuisse. Et citatur quidem sacri ipsorū libri, indeq; excerpti atq; editi à Ptolemæo Mendefio annales, ab Eusebio, testimonia ab Hierodoto. Quod si quid etiā cōiecturis dandū, colligere verisimiliter è Psal. 105. possumus, Ecclesiæ doctrinā sacerdotes à Iosepho Patriarcha didicisse: quippe cui⁹ beneficio, cū descriptis à Pharaone demensis alerētur, & immunitates & agros retinuerint. Certe de Circumcisione eorū diserta mentione Iosephus astipulatur, & Aristophanes in fabula, cui nomen fecit Aues, Ægyptios inde Ἰαλλῆς nominauit, ut ex interprete annotauit Suidas. Verū ut natura Ægyptij ἰσοειδισμοῦς fuerit, paulatim in fœdissimarū superstitionum quasi sentinam, quæ & ab Ethnicis exagitur, relapsi fuerit. Accedit his, quod est apud Strabonem, historias ipsorum plenas simplicitatis fuisse. Et extat quidē hodie solius Mænetonis fragmentum. Tamen hoc etiam γνήσιον sit, quæri non immeritò possit. Phœnices, quos rectè posteritatē Sidonis, geniti Chanaane patre, auo Chamo, credere posse videmur, præcipuè nauigationib. & mercatura inclaruerunt: eaq; occasiōe & Africā & Hi-

& Hispaniam & ipsam Græciam perlustrârunt, atq; ad eò diuersis colonijs cõpleuerunt. Nam & Carthaginem & Thebas ab eis conditas, aiunt: & habuit Carthaginem nouam Hispania. Certum & hoc est, Græcos à Phœnicibus, qui cum Ebræis communes haberent, litteras accepisse. Cæterùm in historia condenda finitimorum exemplum & morem imitati sunt. Nam vsos Sacerdotum opera, Iosephus scripsit lib. i. cõtra Apionem. Idem alibi annales Tyriorum, indeq; non pauca ad historiam sacram pertinentia commemorat. Sed nihil horum nostris temporibus superest.

Lydi, quibus Ægyptiam originem plerique asserunt, regnum cum primis nobile habuere: de quo alibi. Litteras à Phœnicibus accepere, vt habet Suidas: sed quod ijs scriptum esset, nihil hodie reliquum est.

Indis Strabo litteras alibi tribuit, alibi detrahit. Est autem prius verisimilius. Et credere eadem litteras rectè cum Strabone Græcas possumus: Cùm forrè primū ab Alexandri expeditione isthuc importatæ essent. Doctrinas quidem Indos coluisse, constat. Nam penes quos possessio illarum esset, Gymnosophistæ nominantur. Hos Laertius è Clearcho Solensi à Magis duxisse originem, ait. Et Strabo è Megasthene in Brachmanas & Germanas discernit. Tamen posterior nomen obscurius sit. Neq; negârim, in disciplinis communicandis Magos & Gymnosophistas mutuam sibi operâ præstitisse. Enimvero Manem Persam, à quo Manichæorum pestilens dogma cœpit, Buddâ Brachmanem præceptorem habuisse, è Suida notum est.

Hetruscorum disciplina & nomen in Romana historia celebratissima sunt. Nec persequi hîc singula libet. Sufficiat hoc, quod est apud Liuium, Romanos vt postea Græcis, ita principio Hetruscis litteris, quarum auctorem cum Tacito Demaratum Corinthiū statuimus, erudiri filios suos curasse.

Plana autem de his, quæ exposuimus, denuò historiæ dignitas sit: Quippe quæ gentes tã cõiunctas quàm dissipatas veluti astipulatrices habeat, atq; ita habeat, vt quo queq; magis claruit, eo etiam disciplinæ huius studiosior fuisse reperiatur. Nunc monarchas, reges & Principes dabimus, qui historiam vel ipsi scripsere, vel aliorum opera conscriptam perquam diligenter legerūt, aut etiam studio & ope munifica profecuti fuere: & vtrosq; dupliciter, hoc est, vt primū de externis & Græcanicis, deinde qui in Romanis proceribus atq; Imperatoribus, nec non alijs gentibus aliquot recentioribus hisce temporibus enituere, explicemus. Ac consultò hîc eos prætereo, quos & ipsos vel regia dignitate vel alijs summis honoribus claros, Mosen dico, Iosua, Rutham, Samuelem, Danielelem, Esdras, Estheram, Hiobum, &c. historia sacra habet. Nec quæ de ea serie nostra maiorem attentionem pareret, omittenda mentio erat, fermè omnes tales esse, de quibus Plinij illud locum habeat: Equidem, inquit, beatos puto, quibus Deorū munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda, beatissimos verò quibus vtrunq;.

Occurrit autem inter externos Principes illos primus omnium Darius Hystaspis. Citaten enim de rebus Ægyptijs historiam huius Diodorus lib. i. cap. 15.

Eumelus, regia Bacchiadarum apud Corinthios stirpe editus, scripsit historiam Corinthiacam, vt Pausanias.

Thucydides & Timotheus, reip. Atheniensis principes, & ille etiã antiqua regij generis prosapia inclutus, historias luculentas edidere. Ac Thucydidis quidem quem rerum pronunziatorem syncerum, prudentem, seuerum, grauem Cicero vocat, de bello Peloponnesiaco hodie etiam num superest.

Ptolemæus Lagi, rex Ægypti, scripsit res gestas Alexandri Magni. Nam apud hunc antea ordines duxerat.

Ptolemæus Euergetes, superioris è filio nepos, præclarè in litteris ab Aristarcho, qui Homeri Poëma emendauit, informatus, reliquit seu de suis seu de aliorum regum rebus gestis (neq; enim id disertè ab auctoribus traditum est) commentarios.

Ptolemæus Philometor, Euergetæ pnepos, memoratur inter rerū scriptores à Plin. Antipater, Prorex Macedoniæ, discipulus Aristotelis, præter epistolarum libros etiam historias edidit.

Pyrrhi, regis Epirotarum, commentarij citantur in vita eius à Plutarcho.

Attalus I. rex Pergami, tam litteris & stylo, quàm armis & rebus bello gestis claruit. Referuntur autem libri eius mentione Plinij & Strabonis.

Aratus Sicyonius, qui præcipuè Achæorum rempub. stabilivit, rerum à se gestarum commentarios summa fide accuratoque stylo confecit, vt Polybius lib. 2.

Annibal, Carthaginiensium bello Punico secundo aduersus Romanos Imperator, scripsit historiam sermone Græco.

Artuafdes, rex Armeniæ, præter tragœdias & orationes & historias cõmentatus est. Herodes, cognomento Magnus, rex Iudææ, sub quo homo è semper virgine Maria natus est Seruator Christus, res à se gestas etiam stylo suo persecutus est.

Iuba II. rex, vtriusque Mauritanæ, tractauit Romanas antiquitates & Libycas historias.

Ptolemæus, Iubæ II. F. & in regno successor, citatur inter nobiles scriptores ab Athenæo.

In Romanorum optimatibus, quos suo ordine Imperatores & alij principes excipiunt, antiquissimus est Fabius Pictor, homo, vt Cicero ait, nobilissimus. Scripsit autè annales, quorum & Liuius & Gellius meminere. Hodie circumferuntur cum nomine eius duo de aureo seculo libelli: sed eius farina, cuius cætera ab Annio interprete collecta opuscula.

M. Portius Cato, qui Consulatum gessit anno V. C. D. LIX. quiq; tres summas in homine res præstitisse existimatus est, optimus Orator, optimus Imperator, optimus Senator, denique omnium bonarum artium magister, vt Plinius, iam senex historiam scribere aggressus est, relictis septem Originum libris.

L. Calpurnius Piso, & ipse Consulatu anno V. C. D. C. XXI. perfunctus, annalium scriptioe famam apud posteros meruit.

Rutilius & Scaurus de sua ipsi vita historias cõdidere, fiduciam hoc potius morum, quàm arrogantiam arbitrati, vt loquitur Tacitus. Et neutri citra fidem aut obrectationem fuisse, ab eodem Tacito traditur.

L. Cornelius Sylla, dictatura clarus, res à se gestas luculenta historia complexus est.

M. Cicero Consularis, disertissimusq; Romuli nepotum, secundum Catulli elogiũ, & à Roma adhuc libera PATER PATRIÆ dictus, vt Iuuenalis, non semel animum induxit historiam conscribere, & ita conscribere, vt multa ei operi de Græcis rebus immisceret, & omnes eorum fabulas narrationesq; insereret, quemadmodum est auctor Plutarchus. Extat etiam epistola Ciceronis ad L. Luceium historicum bella ab ipso ad Atticum appellata, qua cum alia agit, tum illo cessante scripturũ seipsum de rebus suis affirmat, sed vt eius instituti incommoda multa subijciat. Ac meminit quidem alibi ad Attic. se Consulatus sui commentarium Græcè composuisse, & Latinum inchoasse.

C. Iulius Cæsar, à Suetonio Dictator cognominatus, Romanæq; monarchiæ, & Cæsarium dignitatis, fundator, præter Anacitones & Ephemeridas, quas Seruius, de analogia librum, quem Gellius, citârũt, scripsit gesti à se tam Gallici quàm ciuilibus belli historiam. Quæ cum Derelictis adhuc extat, & sunt de ea tum Ciceronis tum Quintiliani elogia in medio.

M. Brutus, Prætorius, Cæsaris percussor, cætera autem vir bonus, redegit Polybij historiam in epitomen.

Octavianus Cæsar, Dictatoris F. adoptiuus, & in imperio successor, omniumque primus Augustus cognominatus, reliquit de vita sua libros 12. vt Suidas, tredecim vt Suetonius.

Tiberius Cæsar composuit rerum suarum commentarios. Nominantur hi cum actis ipsius à Suetonio in Domitiano.

Claudius Cæsar, adolescens historiæ scriptioe vacauit, cum hortatorem T. Liuium, adiutorem Sulpitium Flauum haberet. Post ad idem institutum iam Imperator redijt: ac nominauit Suetonius de Romana historia volumina 43. de vita ipsius octo. Sunt ab eodem & Tyrrenica & Carthaginiensia in litteras relata, illa libris 20. hæc octo.

Agrippina, Claudij è fratre neptis atq; vxor, mater Neronis, vitam suam & casus suorum posteris memorauit, vt loquitur Tacitus.

Vespasiani Cæs. Commentarij citantur à Iosepho in libello de vita sua.

Adrianus Cæsar, qui primus omnium ab epistolis & libellis (nos vulgò Cancellarios &

rios & Secretarios appellamus) Equitibus Romanis vsus est, vitæ suæ libros à se scriptos libertis litteratis publicandos dedit, vt Spartianus. Quod ipsum ab eodem auctore ambitioni tributum, nos verecundiam ducimus.

Ab Antonino Philosopho conscripta de vita sua historia Græcè hodie etiamnum reliqua est.

Seuerum Cæs. itidem de vita sua historiam condidisse, præter Herodianum etiam Spartianus tradidit.

Iulianus Cæs. cognomento Apostata, scripsit de Imperatoribus Romanorum, ab Augusto exorsus, teste Suida.

Eudocia, Augusta, Theodosij II. coniux, Persica mariti bella carmine heroico illustrauit.

Anna, Alexij Comneni Cæs. filia, explicauit de patris rebus gestis libris 20. quos in Augustanæ reipub. bibliotheca extare, meminit Hieronymus Wolfius. De eruditione quidem eius præclara, atque in litterarum studijs diligentia incredibili, multa Zonaras habet sub finem.

Paulus Iouius, recens auctor, è Comacina insula principe familia profectus, quemadmodum habet in præfatione quadam Iohannes Basilius Heroldus, nec solum Pontificum Romanorum, in quorum ætatem incidit, quorumq; gratia & domicilium & otium ei paratum fuit, sed etiam Caroli V. & Ferdinandi, Cæsarum, præterea Francisci I. Gallicarum regis, & Solymani Turcarum Imperatoris, deniq; omnium, qui per omnes orbis partes terra mariq; imperium gessere amicitiam promeritus, luculentam illam, quæ extat, historiam conscripsit. De qua tamen cum eiusdem Heroldi, nec non multorum aliorum, censuræ in medio sint, nihil hîc addo.

Enostræ gentis proceribus ad historiæ scriptionem primus, quantum quidem mihi constat, animû appulit Ditmarus, Episc. Merseburgius, natus patre Sigefrido, Saxonice gentis Comite. Vixit autem Othonum temporibus, mortuus sub Henrico II.

Otho, Episcopus Frisingensis, editus penna Ducum Austriæ prosapia, floruit sub Friderico Barbarossa Cæs. & Chronicon ab initio mundi vsque ad annum Iesu Christi 1150. contexuit.

Hermannus Contractus, Comes Veringensis, sed professione Monachus, Chronologiam vsq; ad sua tempora, & annum Christi 1066. perduxit.

Hac nostra memoria vt summæ atq; elegantis doctrinæ fama, ita etiam Historiarum scriptione, quam tentauit editis in lucem Benedictinæ religionis Monachi annalibus Francicis, claruit Hermannus, Comes Nuemarius. Et operæ præciû fecit de Moscho-ua Sigismundus Herbersteinus, Baro Austriacus.

In Imperatoribus autem nostris, ita Historiæ studuisse Carolum III. accepimus, vt vitam suam describere aggressus sit. Vidimus id nos scriptum in bibliotheca nobilissimi & doctissimi viri Christiani Distelmeierij. Secutus postmodo idem exemplum fuit Maximilianus II. Nam & ipse rerum suarum commentarios inchoauit, sed vel morte præuentus, vel alijs occupationibus impeditus, non absoluit. Extat ea de re Pyrcameri Noribergensis narratio inserta lib. 3. Chronici Carionis, lectuq; in primis dignissima, vnde qui volet, repetat.

Restat iam eadem methodo eodemq; ordine de ijs procedamus, qui eximio atq; exquisito historiarum studio & cognitione, cum scriptionibus fermè abstinerent, commendationem apud posteros meruere. Quos inter vtî è Persarum regibus neq; Cyrum neq; Cambysem neq; Darium Hystaspis excluderim, idque de Iosephi auctoritate, qui commentarios eorum nominauit, ita de Xerxe, Darij F. hoc diserta mentione Plutarchus retulit, multos tempore expeditionis in Græciam eum in exercitu scribas habuisse, qui, quæ gererentur, litteris mandarent.

Artaxerxis Longimani tam in maiorum quàm in suis rebus gestis recognoscendis operam atq; diligentiam aliquo modo Estheræ reginæ historia ostendit. Videturq; eodem rege consuetudo introducta, quæ itidem ibi refertur, sanè memorabilis, & omnibus seculis omnium itidem regum atq; principum imitatione dignissima, hoc est, vt hominum beneficia in regijs fastis annotarentur, & ideo annotarentur, vt qui meriti præclare de regno essent, suo tempore præmia & honores acciperent. Nam quoties ab oc-



cupationibus alijs reges vacui essent, hos inspiciabant, & benemeritorum rationem habebant.

Artaxerxes Mnemon vsus historico & Medico est Ctesia Cnidio: & frater huius Cyrus iunior familiariter Xenophontem Atheniensem dilexit.

Lyfander Spartanus, de captis Athenis clarus, Choerilum ciuem suum ad amicitiam adiunxit, vt is carmine ipsius res gestas exornaret.

Archelaus I. rex Macedoniae, praeter Euripidem Tragicum & Herodotum & Helanicum historicos inter familiares coluit.

Philippus Amyntae, quo natus est Alexander Magnus, erga Theopompum historicum cum primis munificus fuit, quemadmodum habet historia tripartita.

Alexander Magnus, Orientis & bellicosissimarum aliquot Europe gentium victor, multos rerum suarum scriptores secum habuit, teste etiam Cicerone pro Archia. Fure autem in ijs scriptoribus facile principes Onesicritus, Callisthenes, Aristotelis propinquam suam scripsisse, ideoque plus fidei reperisse, Arrianus auctor est. Cum eodem rege educatus Marfyas, Antigoni regis frater vterinus, deinde & Macedoniae libris decem, & peculiariter Alexandri educationem conscripsit.

Seleucus Nicator, rex Asiae & Syriae, valde familiariter Megasthene historico vsus fuit.

Antigonus I. Rex, Choerili Poetae de rebus a se gestis carmen tanti fecit, vt stipendium ei in singulos dies a fisco constituerit quatuor minas, hoc est, 40. coronatos.

Ptolemæus Philadelphus, rex Aegypti, natus Ptolemæo Lagi, nobilissq; illius Alexandrinae bibliothecae, quam septingenta millia volumina habuisse Gellius scripsit, condidit, cum alios in omni disciplinarum genere viros doctos liberalissime fouit, tum in intimis habuit Demetrium Phalereum, historiarum scriptorem: quippe cuius etiam hortatu sacra Biblia transferri in Graecam linguam curauit. Et celebratur haec ad eundem regem, sed omnibus aetatibus ad omnes reges atque principes necessariae Demetrii <sup>μαρτυριαι</sup>, quod nempe libros de regno scriptos emere illum atque legere iussit: nam de quibus amici reges admonere non auderent, ea in libris perscripta esse.

Attalus I. cum de alijs viris doctis benemereri studuit, tum Ctesiphontem historicum beneficentia proluxa complexus fuit.

Herodes, cognomento Magnus, plurimum detulit Nicolao Damasceno, de quo multa in historia sua Iosephus & Strabo lib. 15.

Agrippa rex quanti Iosephum historicum fecerit, ex historiola de vita huius patet.

Atque haec tenus quidem de externis & Graecanicis. Nunc ad Romanos proceres atq; Imperatores, caeterosq; de quibus supra dictum, pergo.

Scipio Africanus superior & M. Fuluius Nobilior Ennium Poetam, qui, ob trium linguarum peritiam tria se habere corda dicebat, vt Gellius, qui vt reliquam populi Rom. historiam, ita & ipsorum res gestas carmine (Seruius & Gellius annales nominarunt) pertractasset, summo amore ac veneratione prosecuti sunt, ita quidem vt etiam in Scipionum sepulcro is constitutus esse existimetur, quemadmodum est auctor Cicero. Nam Valerius, qui eadem habet, non obscurum tota de re elogium addidit lib. 8. cap. 15.

Scipio Africanus posterior, cui exemplum imitatus, habuit in magno honore Polybium historicum, a quo & Panætio Philosopho etiam in litteris informatus fuerat.

C. Marius septies Cos. & victoribus de Cimbris nostris atq; Teutonibus nobilitatus, L. Plotium eximie dilexit, cum ea, quae gessisset, ingenio illius celebrari posse existimaret. Eidem etiam Archias Poeta, quem Cicero defendit, charus fuit, quod adolescens Cimbricas res attigisset.

Q. Metellus Pius vsq; eò de rebus suis scribi cupiebat, vt etiam Cordubae natis Poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet. Auctor est Cicero. Eidem familiarissimus Archias fuit: nam tabulis hunc Metelli comprobatum, testis est idem Cicero.

L. Sylla etiam mali cuiusdam Poetae sedulitatem, qui epigramma in eum fecisset, tantummodo alternis versibus longiusculis, haud aspernatus fuit. Cum enim hoc ei auctor

ator subiecisset, statim ex illis rebus, quas tum fortè venderet, tribui premium sub ea conditione iussit, ne quid postea scriberet. Quod enarrans Cicero, de Archia addit: quid ille huius ingenium & virtutem in scribendo non expetisset? Tametsi Valerius lib. 8. cap. 15. tantæ Syllam arrogantia notârit, vt ad neminem animum direxisse dicat: cum fortè commentarijs suis intentos omnes esse vellet.

L. Lucullus in tanta apud Syllam admiratione fuit, vt is commentarios suos ipsi, tanquam rectius historiam composituro, inscripserit. Et constat quidem eundem cum Sisenna historico primùm per iocum, deinde seriò contendisse seu oratione seu carmine Latino Græcoue, vtrum fors tulisset, bellum sese Marsicum descripturum. Narrat autem Plutarchus, credi orationem Græcam sortitum, extante tum historia Luculli de bello illo Græca. Cicero de eodem his verbis differuit: Cùm Lucullus, inquit, totum iter & nauigationem consumisset partim in percontando à peritis, partim rebus gestis legendis, in Asiam factus Imperator venit, cùm esset Roma profectus rei militaris rudis.

Cn. Pompeius Magnus qui omnium primus è tribus orbis partibus triumphos duxit, & tertium Consulatam Dictaturæ potestate gessit, Theophanem Mitylenæum, scriptorem rerum suarum, inter intimos habuit, & in concione militum ciuitate donauit, profectus beneficium per se amplum etiam oratione accurata. Eidem quoq; amicissimus fuit L. Luceius Historicus, vir Prætorius, & Cæsaris Dictatoris in Consulatu competitor, quemadmodum legimus in epistolis Ciceronis ad Atticum.

Cæsar Dictator inter amicos fermè principe loco coluit Hircium & Oppium, historiæ suæ derelictorum auctores, & illum etiam ad Consulatam euexit.

Augustus Cæsar, præter C. Mæcenatem, qui cum Agrippa genero inter duces, & consiliarios præcipua apud eum dignitate & gratia floruit, quenque eius res gestas descripsisse, Oracius & Seruius meminere, cùm Liuium Historicum magni fecit, sed vt per iocum ob immodicas Pompeij laudes prædicatas Pompeianum appellârit, tum vehementer delectatus fuit Nicolai Damasceni, itidem Historici, ingenio: quippe à quo etiam mellitas placentas Nicolaos, quod nomen postea quoq; durauit, appellârit. Idem Caio F. Dionysium Historicum adiunxit, & plurimum Virgilio, qui Æneide sua Iuliæ familiæ conditorem Æneam celebraret, vel potius in persona huius ipsum Augustum representaret, deniq; Romanorum historias (vnde quidem Æneida veteres Gesta populi Romani appellasse, accepimus) passim immisceret, detulit. Certè à Donato traditum est, nullius vnquam rei Poetam illum ab Augusto repulsam tulisse, & propè centies festertium, id est 250000. coronatorum aureorum possedisse. Est etiam de eodem memoria dignissimus Taciti locus: Malo, inquit, securum & secretum Virgilij secesum, in quo tamen neque apud Diuum Augustum gratia caruit, neque apud populum Romanum notitia. Testes Augusti epistolæ, testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilij, surrexit vniuersus, & fortè præsentem spectantemque Virgilium veneratus est, sic quasi Augustum. Hactenus Tacitus.

Tiberius Cæs. maximè curauit notitiam historiæ fabularis, vsque ad ineptias atque derisum, vt habet Suetonius. Floruitque sub hoc Imperatore Velleius Paterculus, præfectura equitum & quæstura ab eo ornatus.

Vespasianus Cæs. habuit in carissimis, summoq; honore, Iosephum Historicum, & prædijs ac iure ciuitatis donatum diuersari in ædibus passus est, quas antequam Imperator fieret, inhabitârat, deniq; etiam pensione annua honorauit. Eandem humanitatem de se filij & successores, Titus & Domitianus, præstitere. Nam ille de bello Iudaico historiam peti è libris Iosephi tantùm voluit, ideoq; manu sua subscriptos in bibliotheca publicari iussit: hic verò præter honores, quibus conferendis & patrem & fratrem superauit, etiam prædiorum ei immunitatem concessit.

Traianus Cæs. Plutarchum, cuius tam de Philosophia quàm de historijs diuersa extant opera, dignitate Consulari ornauit, edixitque, ne quisquam Illyrici magistratum aliquid absque consensu eius ageret, vt Suidas.

Adrianus, Traiani successor, dedit Arriano historico præfecturam Cappadociæ: fatique è Suida constat, eundem ad Consulatam euectum fuisse. Addit Spartianus, Adrianum Suetonio Tranquillo, cuius de duodecim Cæsaribus historia extat, epistolarum magistro (nos Cancellarium vocamus) vsurum.

Antoninus Philosophus Cæs. adè antiquitatis studiosus fuit, vt nemini esset Græcorum Romanorumue secundus, teste Herodiano. Eidem historiam suam Iustinus inscripsit, non tam, vt ipse ait, cognoscendi quàm emendandi causa. Vnde familiarissimum eum Cæsari fuisse, necesse est.

Alexander Mammææ, princeps ingenio miti, sed iustus, tum alios viros doctos, ne quid asperum de se scriberent, vehementer coluit, & mensæ affectas habuit, tum inprimis historicos suspexit. Locus ea de re Lampridij ita se habet: Fuit ei consuetudo, vt si de iure aut de negotijs tractaret, solos doctos & disertos adhiberet: Si verò de remilitari, milites veteres & senes, ac benemeritos, & locorum peritos, ac bellorum & castrorū, & omnes litteratos: & maximè eos, qui historiam nōrant, requirens quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores, vel Romani, vel exterarum gentium fecissent. Hactenus Lampridius. Obtinuit etiam Alexandri beneficio Consulatū Dion Cassius Historicus: quippe quem cum ipso Alexandro gesserit anno V. C. DCCCCLXXXI.

Zenobia, quæ à mariti Odenati obitu imperium contra Galienum inuasit, & illustrem hostis Aureliani commendationē promeruit, historiæ Alexandrinæ atq; Orientalis tam perita fuit, vt in compendium redegerit, Latinam autem Græcè legerit.

Tacitus Cæs. Cornelium Tacitum, scriptorem historiæ Augustæ, quod parentem suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iussit: & ne lectorum incuria deperiret, librū p annos singulos decies scribi publicitus iussit, & in bibliothecis poni.

Julianus Cæs. Victorem, scriptorem Historicum, apud Sirmium visum, Pannoniæ secundæ consularem præfecit, & honorauit ænea statua, virum sobrietatis gratia multiaudum, multo pōst vrbi præfectum, vt scripsit Marcellinus lib. 21.

Valens, Valentiniani frater, atque in Imperio collega, ab Eutropio conscribi Romanæ historiæ epitomen curauit.

Theodosius primus multam in lectione historiæ operam posuit, vehementer facta veterum superba, crudelia, infesta, execratus, vt Victor. Idè Honorium F. apud Claudianum ad simile studium his versibus inuitat:

*Interea Musis, animus dum mollior, in spes,  
Et qua mox imitere, legas, nec desinat vnquam  
Tecum Græcia loqui tecum Romana vetustas,  
Antiquos euolue duces. —*

Zenonis Cæs. temporibus Theodoricus cognominatus Veronensis (vulgò de Berna) gente OstroGotthus, victo & caeso Odoacro, rege Rugorum & Herulorum, Italiam cum vrbe Roma occupauit. Enituit autem cum alijs summis virtutibus, tum ab antiquitatis & historiarum studio non alienus fuit. Nam iussu eius Cassiodorus Consules suos digessit. Et notæ sanè dignitates Cassiodori, quas & antè consecutus fuit, & deinde possedit. Etenim vt cæteras reticeam, Consulatū solus gessit anno V. C. M. CC.LXIX.

Iustinianus Cæs. præcipuum copiarum Ducem Belisarium habuit. Is rursus Procopio historico & notario & consiliario vsus fuit.

Carolus Magnus, vt mirificè studuit lectioni librorum Augustini, ita præcipuè ijs delectatus est, qui de ciuitate Dei inscripti sunt. Idem hanc summam diligentiam adhibuit, vt vel inter cœnandum prælegi sibi historias, & antiquorum regum gesta, voluerit. Nec minus in vniuersam patriæ historiam consuluit: Nam barbara & antiquissima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur, scripsit, memoriæq; mandauit, teste Eginharto, qui alumnum se Caroli profitetur, & tam cum illo quàm cum liberis amicitiam prædicat. Habet etiam de Paulo Warnefrido (vulgò Diaconum vocant) rerum Longobardicarum scriptore, Sabellicus, cum captus cum rege Desiderio à Carolo esset, statim libertate donatum fuisse, & quàm diu in fide manserit, summæ beneuolentiæ officijs cultum.

Fridericus I. cognomento Barbarossa, Othoni, Episcopo Frisingensi, munifica ad rerum gestarum descriptionem adiumenta subministravit.

Sigismundus Cæs. auidè semper historias legit, & conuerti omnium primus Arrianum in Latinam linguam curauit.

Maximilianus I. omnium gentis nostræ scriptorum de sedula & accurata historia-  
rum lectione commendationem meruit. Cui additur à Philippo Melanchthone decla-  
mat. Tom. 2. Stabium se narrantem audiuisse, eidem Imperatori fuisse in animo, certis  
hominibus doctis mandata dare, vt collectis vndique Germanicis Chronicis, quia alius  
alia annotasset, ex fragmētis illis Germanicam historiam integram, quantum fieri pos-  
set, componeret: Sed vel occupationibus impeditum, vel quia non satis idoneos ho-  
mines rei tantæ, qui quidem vacui fuissent, reperiret, inceptū omisisse. Sanè exemplum  
eius multum tum etiam apud cæteros principes valuit. Et constat, illustri dignitate, fi-  
de, gratia, inter aulicos & Consiliarios eius floruisse Cuspinianum, cuius de Consulibus  
Rom. & Austria historia extat, & Bilibaldum Pycamerum & ipsum historicum.

Carolus V. præcipuè Thucydidis lectione delectatus est, & plurimum Paulo Iouio  
detulit.

Ferdinandus Cæs. ad historiarum scriptiones Lazij & Langi opera vsus est.

Apud Maximilianum II. in summa gratia ac dignitate Richardus Streinius, gentis  
Austriacæ Baro enituit: & hodie etiamnum Sambucus Pannonius superstes est.

Sed nec alij de externis regnis hîc omittendi erant: in quibus facillè principes Alfon-  
sus Aragonum, & Matthias Huniades, Vngarorum, reges. De illo paulo fusius explica-  
re visum fuit. Etenim vt Alexander Homeri Iliadem, sic Alfonso Liuij historiam sem-  
per comitem habuit: & Laurentium Vallam, qui apud ipsum exularet, mirifico studio  
complexus fuit, atq; vt Herodotum & Thucydidem, è quibus cotidie de Persarum &  
Græcorum historiæ differentem cum summa admiratione audisset, in Latinā linguam  
cōuerteret, perfecit. Idem tantum litteris detulit, vt clypeis & signis suis librum appin-  
xerit: cum gloriaretur, nullos se habere meliores consiliarios quàm mortuos, hoc est,  
libros. Interrogatusq; vtum plus libris aut armis debere se existimaret, libros prætulit:  
quippe è quibus arma armorumq; vsus sese discere affirmaret. Denique cum æger ali-  
quando lecto decumberet, & lectione Curtij de rebus gestis Alexandri Magni ita se ob-  
lectasset, vt animi & corporis languentis collapsas vires refici sentiret, exclamauit, non  
esse in Hippocrate vel Galeno saniolem medicinam, suauioremq; curationem. Mat-  
thias verò Rex cum alijs partibus rem litterariam iuuat, tum ita sese historiarum lectioni  
dedit, vt ex Græca lingua multas in Latinam transferri sui vsus causa curarit. Eiusdem  
munificentia ad Vngaricæ historiæ tractationem & Callimachus Experiens, vero no-  
mine Philippus, editus Geminiano Hetruriæ oppido, tum exul (nam Pauli II. Pontif.  
sæuitia Roma pulsus, à Casimiro, rege Polonia, Alberto F. præceptor datus, posteaque  
cladis Moldauicæ, quòd nobilitatem ob contumaciam obiectandam hosti censuisset,  
habitus author fuit,) & Antonius Bonfinius pellecti sunt. Nec deessent, quæ præterea  
tanquã emblemata, de Germaniæ, Galliæ, Italiæ, Britannia id genus, nec dissimilis stu-  
dij, exemplis adijcerem. Sed hoc instituti *in imperio* & breuitatis studium nostrum prohi-  
bet. De Gallicis tamen indicandum putauimus, apud Ludouicum XI. perquam gra-  
tiosum fuisse Philippum Cominæum, hominem Belgam è Flandria, cuius commenta-  
rios Gallica lingua conscriptos Sleidanus Latinos reddidit. Et Franciscus I. cum do-  
ctrinarum omnium appetentissimus esset, ita quidem, vt magnis sumtibus per Italiam  
& ipsam Græciam aleret, qui veterum auctorum scripta conquirerent atq; describerēt,  
& bibliothecam instituerit amplissimam, quæ libros aliquot postea insignes dedit: etiã  
historias magno studio legit, & ita legit, vt neq; à mensa vel prandens vel cœnans de his  
colloquia excluderet, & accuratè cum ipse differeret, tum alios, qui aliquid attulissent  
in medium, attentè audiret. Notetur & in Britanicis perquam insigne istud de Eduardo  
VI. neq; omittantur pauca nonnulla de Germaniæ nostræ principibus. De Eduardo res  
ita se habet. Erat ille, vbi vitam finijt, circiter annorum sedecim adulescens. Sed in ea  
ætate præter patriam linguam & Latinam & Græcam & Gallicam didicerat, & doctis  
omnibus, Germanis, Italis, Gallis, Scotis, Hispanis, Polonis hospitium dabat atq; patro-  
cinium. Constat eundem studiofissimè historias legisse: & traditum est à nonnullis, in-  
de Northumbrij Ducis, à quo tabifico veneno sublatum suspicio fuit, in eum odiū, seu  
quandam occulti metus à populo, extitisse. In Germanicis principibus est quod de Auen-  
tini Annalibus vehemèter Gulielmo & Ludouico, Bauaris, debeamus. Nec minor de  
Saxonica historia Fridericum Sapientem Electorem cura tetigerat. Sed perfecere de-

num rem illā Mauricius & Augustus, fratres atq; Electores, vñ opera Georgij Agricola & Fabricij. Prædicatur etiam Philippi Palatini Elect. in historiarum cognitione comparanda studium mirificum: Qua de re cum Philippi Melanchthonis aliquot in locis, & Caspari Hedionis hist. Eccl. lib. 12. cap. 4. expositiones in medio sint, inde peti omnia satius fuerit. Nec suis hac parte illustrissima familia Brandeburgica caret. De quibus dignitate hinc differatur, iterum argumenti ratio prohibet. Vnum id addo, documentaque de his exemplis, vel ideo illustrioribus, quò maior eorum, à quibus profecta, dignitas, ceteri Principes capiant, esse plurima. Sanè quod historia Sleidani traditū est, Germaniam hodie familias hasce tres, Bauaricam, Saxoniam, Brandeburgicam secundū Austriacam præcipuas atque adeò potentissimas habere, id neminem esse opinor, qui inficiari aufit.

Quòd si nec respub. illustriores parte hac laude sua fraudandæ, nota quidem, vt cæteros taceam, de Sabellico, & Petro Bembo, edito genere patricio, & à Leone X. inter purpuratos Sacerdotes (vulgò Cardinales vocant) lecto, Venetorum prudentia ac diligentia. Nam vtriq; Senatus decreto scribendæ historiæ Venetæ munus impositū fuit. Ac Bembo id de se obiter retulisse contentus fuit. Sabellico annum trecentorum aureorum stipendium constitutum, Iouius memorat.

Cæterum liquet iam hinc tertium, idq; luculentissimum, de Historiæ dignitate argumentum: Cum qui nō solūm comprobârint, sed etiam litteris mandârint, ipsos summos omnium ætatum monarchas, Reges & Principes reperiamus.

Libet nunc partes disciplinæ istius perstringere, vt hinc porro planum fiat, è qua plurimum commodi expectandum sit. Nominauit autem has Eustathius, Dionysij interpres: τὸ ποικίλον, τὸ παραγματικόν, τὸ χρονικόν, τὸ ἡγελογικόν. Et Polybius alibi τῆς παραγματικῆς, alibi τῆς ἡγελογικῆς primas defert. Ego de posteriore assentiri malim: Est enim hæc, quæ reliquas omnes illustret, & sine qua illæ fermè fructum nullum præbeant. Neq; hinc nudas familiarū delineationes aut nomenclationes quasdam intelligimus, sed additas personis cōuenientes rerum gestarum descriptiones, cum diuersa temporum, quibus quæq; floruit, indicatione, planeq; quasdam quasi περιγραφαί. Vnde iam noua ἡγελογικῆς sese ἐξοχῆ exerit. Quæ enim fugit, in historijs potissimum de personis, quæ res gessere, agi, has autem rursus familiarijs discerni oportere? Et certè quidem cum secundum cœlestis doctrinæ veritatem, & Ecclesiæ conseruationem, sint habeanturq; bona, quibus mortalium felicitas comprehenditur atq; constat, præcipua, Imperia & artes, etiā familias, quæ vtraq; condiderunt, illustrârunt, propagârunt, non negligendas, sed summo honoris cultu afficiendas, non potest non apertum omnibus esse. Fit autem istud eo pacto rectissimè, si earū obsequio & memoriæ studeamus, hoc est ortum, incrementa, interitum inuestigamus aut inuestigata cognoscamus. Habent enim semper vt ipsa imperia, ita & familie, suas quasi periodos, fatalesq; vices, seu vt Quintiliani verbis vtar, initium, incrementum, summam. Nec potest non talis cognitio v. principibus, quiq; alij reip. clauum tenent, iucundissima, ita omnibus vtilissima esse. Sanè si rectè rem æstimemus, etiam ipsum Nobilitatis decus hoc quasi fundamento nititur. Est enim illa, si Aristoteli credimus (nam ad amissim ista hinc disceptari nec debebāt, nec poterant) vetustas & integritas generis, seu parta maiorum in rempub. meritis, ac propagata dignitas.

Verum hinc necessario adiiciendum erat, quid præstari ab eo conueniat, qui cū fructu aliquo & suo & aliorum tractare τὸ ἡγελογικόν studeat. Ergo vt rem in pauca conferamus, præcipuè opus fuerit attendere penèq; religiosa totius antiquitatis, cuius fundamentum facio historiam Biblicam, inuestigatione, & iugi veterū monumentorū lectione. Nam qui hunc laborem subterfugit, & antiquitatem tanquā per transennā aspicere, neq; in ipsa penetralia progredi velit, hinc longè faceffat, aut solidum fructum expectare desinat. Nec fieri potest, vt qui alias ingredi vias tentauerit, nō in salebras & anfractus incidat, & deniq; vel in horrida tesqua & mandras, vel periculosissimū præcipitiū perducat. Sanè Philippi Melanchthonis, summi atq; optimi viri, quem admodū prædicabat eum Camerarius, communisq; præceptoris nostri, vt Glandorpius nominabat, ac simul to maximæ partis litteratorum hominum parentis, vt in quadā epistola Iohannes Sturmius, ad hunc ipsum Glandorpium vsurpatum veluti apophthegma quo infiniti laboris esse affirmabat, familias scribere, in medio est. Et requirere ad eandem operam Camerarius

rarius solebat non solum ingenij acumen, sed temporis quoq; lōgitudinem & industriæ laborem. Neq; plurimorum clam sunt, qui ab ista, quam diximus, via declinantes, etiam fortunam eandem experti sunt, hoc est τὸ ἄστυαλοζικόν magis obscurarūt quam illustrarunt, tam vetera quam recētia exempla. Nam vt ne hoc etiam quenquam perturbet, nequaquam istud genus hominum primum nostra ætas vidit, sed etiam antiquitas tulit. Atq; operæ precii facturi videbamur, si cuiusdam veluti cautionis loco pauca de ijs hīc differeremus. Satis autem constat, maximè istius quasi noxæ reos Poetas: nisi fortè quis illos calicentia excusandos existimet, de qua ita Ovidius cecinit:

*Exit in immensum fecunda licentia vatū,  
Obligat historica nec sua verba fide.*

Et Socrates apud Platonem asserit, ὅτι ἡ ποιητικὴ δόξα, εἰς τὸ μέλλον ποιητὴς εἶναι, πλείον μῦθος, ἀλλ' ἔ λόγος. Hos magna turba ineptorum historicorum, & incauta quorundam ambitio, sequitur. Nec enodare singulatim de omnibus omnia libet. De historicis id genus notetur locus Plutarchi de Clodij cuiusdam temporum indice: Clodius, inquit, antiquos illos temporum commentarios ostendit in Gallica vrbis calamitate perijsse: eos autem, qui nunc extāt, compositos esse ab alijs, qui in gratiam certorum virorum genera eorum in præcipuas familias, maximeq; insignes, nulla omnino ratione ad eos pertinentes, ingesserint. Hactenus Plutarchus. Legimus etiam de C. Julio Cæsare, quòd originem familiæ suæ à Venere, quam templo honoratam genitricem cognominavit, repetierit: inueniasq; eandē lib. 8. epist. Ciceronis, qui totus M. Coelij est: inuenias quoq; passim apud eos scriptores, qui sub successore Augusto florere. Et satis cōstat, sacra Veneris familiæ Iuliæ propria fuisse, vt Solis Aureliæ, Ditis patris Valeriæ, & alia alijs. Magis autem mirere, quod Suetonius habet, Galbam videlicet, qui post Neronē imperavit, genus suum ab infami illa Paliphae, Minois Cretensis cōiuge, censeri voluisse, haud dubiè nulla alia de causa, quam vt saltem vetustatis opinione plus sibi familiæq; dignitatis conciliaret. Fuit & sub Vespasiano inuentus, qui Flauiam familiam, qua Imperator is editus esset, ad cōditores Reatinos, comitemq; Hercules, cuius extat via salaria monumētum, referret: & alius sub Augusto, qui Vitelliam gentem, qua gurges ille, atq; abdomini suo natus helluo bariatroq; Vitellius, Vespasiani antecessor, procreatus fuit, à Fauno, rege Abooriginum, deriuaret. Quanquam verò postremam hanc sententiā Suetonius in medio relinquit, tamen de Vespasiano, qui æquè prudentissimus esset ac versutissimus, adijcit, eum tā turpem adulationem, stolidamq; audaciam, vltro irrisisse, indigenaq; origine contentum fuisse. Nec dissimilem in Austria sua de Stabij, Austriacæ familię originē à Iapheto, Nohæ F. deducētis, refutatis ineptijs à Maximiliano I. Cæs. retulit historiam Cuspinianus: Quæ etsi stylo & orationis genere negligentiore exposita, per se tamen memorabilis sit, hīc eam de verbo ad verbum ascribo: Audiui coram, inquit, Diuum Maximilianum sepius loquentem cum Stabio: Tu me ex arca Nohæ ducis? & stemmatis originisq; meæ auctorem tribuis Iaphet, tertium scilicet Nohæ F. qui pudenda patris detexit? quasi ex radice non bona, possit produci stipes bona & fertilis, cum tamen mala arbor nunquam bonum producat fructum? Et licet Stabius acutè Diuo Cæsari multis aulicis astantibus respondisset (nam haud vulgariter amabatur à Cæsare, quod omnibus constat, & comperitum est) tamen Cæsar postea dixit: Caucas hanc ignominiam mihi & posteris meis inurere, qui mihi irascentur, & alij exerta lingua subsannabūt. Hactenus Cuspinianus. Accertè quidem quam veteres isti longè adhuc crassius, & quod aiunt, tota via errarūt, seu planè aues sectati sunt, secundū Venusinū Poetā, cæteri proximiorū & paulo superiorū temporū scriptores nonnulli. Etenim vt gentibus & nationibus ipsis, ita & familijs Romanas, & nescio quas alias, affinxere. Exempla, nisi qui monumenta ipsorū nō viderit, præterire neminè possunt, quæ vt de gentibus accumulanda hīc nō erant, ita de familijs vnū atq; alterū saltē tā ex nostris, hoc est Germanicis, quam ex Italicis historijs subiicere visum fuit. Celebrantur autē in veteribus Germanicæ stirpis atq; originis familijs præcipuè Merouingi & Welfi: & illi satu Priami Troiani, hi Catilinæ editi censentur. Quid hac re dici vel ineptius vel incogitātius potuit? Vt enim ductore Ænea delatos in Europā atq; Italiā Troianos non negemus, quid hoc omniū ad nostras gentes? præsertim cum Francorum (In his enim Merouingi primi rerū potiti sunt) populus & nomen

multo post innotuit. Altera de Welfis opinio non gloriam, sed probum ac manifestam infamiam habet. Nam quod Catilinae genus, qui mores, quae studia fuerint, satis superque cum ceteris Romanis scriptoribus, tum è Cicerone & Sallustio evidens sit. Et certum est è Taciti historia lib. 3. & alijs, veterem Romanam nobilitatem, partim intestinis & plus quam civilibus bellis istis, partim Imperatorum saevitia extinctam. Quae autem huic quasi suffecta fuit, qualis censei haberi debet, non obscure Plinius demonstrat: retulitque mores huius nequaquam probatos Marcellinus lib. 28. De Italicis nomine hic tantum Estenses & Columnios: quorum illos plerique ab Attijs, hos à Camillis Romanis derivant. Ego contra Estensibus Longobardicam stirpem assero: nec improbatim de Columnijs quorundam sententiam, pertinere genus horum atque originem ad Welfos. Neque enim ut Longobardorum, ita & aliarum gentium nostrarum in Italia imperia obscura sunt: à quibus occasione ista, quae nunc tibi reliqua est, nobilitatem condita, quod dubitemus causa nulla est, & satis id ipsorum Italarum testimonij liquet, satis etiam quadam ad me epistola de sua & maiorum è Saxonica domo origine demonstravit Alfonso Carretus, Marchio Finarij. Enimvero possident Estenses bona ex parte auitas sedes etiamnum: & connubijs Bauaria & Saxonia potiti, deinde familiam Ducum Brunsvicensium & Lunæburgensium propagarunt. Constat etiam Columniarum stirpis Principes Germaniam & Lunæburgensium repetisse: à quibus hodie supersunt & illustrissimorum Electorum ac Marchionum Brandenburgicorum domus, & Comites Zollerani in Suecia.

Sed his per quandam veluti digressionem expositis, pergo iam ad ea, quae ad <sup>περιγενεαλογικόν</sup> pertinent videntur propius. In quibus & vetustatem & dignitatem huius sacrarum litterarum auctoritas commendat. Has enim diligenter atque accuratè origines & stirpes explanare, neminem nisi in lectione earum plane hospitem, fugere potest. Introductaque de eo exemplo instituti sane perquam laudabilis apud Iudaeos consuetudo, ut familiarum descriptiones in fani Hierosolymitani adyto asservarentur, mixtis tamen etiam de extraneis gentibus quibusdam veluti insititijs. Ac perdurasse quidem eandem consuetudinem seculis bene multis, hoc est, usque ad Herodis Magni regnum, accepimus. Is enim cum Idumææ, & quemadmodum plerique tradidere, omnino despiciatæ originis esset, ne ea novitas contemptum sibi pareret, monumenta illa flammis absumsit. Quamquam verò ad istud tantum tamque ingens damnum cavendum, hanc aliqui providam curam adhibuerat, ut domi libros nonnullos exscriptos haberent, plerique etiam è memoriè thesauris reparent, restitui tamen res in integrum nunquam potuit. Nec dubium est, inde quaestionum disputationumque nugae exitisse, quas genealogiarum mentione taxat tam ad Timotheum quam ad Titum scribens Paulus Apostolus. Nam damnati ab eo eruditam atque historicam familiarum investigationem, id de sanctissimo Apostolo, praclareque etiam in bonis litteris erudito, ne in mentem quidem venire, nisi penitus excordi & vesano potest. Ac persentiscimus nos vel hodie eius iacturae incommodum. Inde enim discrepantium illarum opinionum de genealogia Christi pugna extitit. Quae ut componi possit, atque adeo gravissimis de causis debeat, alibi à nobis demonstratum est.

Apud Graecos <sup>περιγενεαλογικόν</sup> principes Poetae attigere, sed immodico fabularum studio haud satis feliciter. Debemus tamen plurimum Homero. Et meminerimus quod de tota Graecae gentis hac parte navata opera scripsit in Arcadicis Pausanias: Sunt sane, inquit, Graecorum scripta cum in ceteris, tum in ijs maximè, quae ad gentilitates pertinent, inter se dissidentia. Haec tamen Pausanias. Quod ut auctori isti demus, atque adeo nos dare oportet, ita studium in Graecis familijs explorandis nequaquam inde labefactatur, multoque minus ipsum <sup>περιγενεαλογικόν</sup> impugnatur. Et quam omnino disciplinam proferas, quae <sup>περιγενεαλογικόν</sup> careat? Sane & Oracius cum Telephum quendam dehortari à Genealogijs videatur, alibi tamen & Aelium Lamiam veruisto Lamio, & Maccenatem atavis regibus, editos ait. Quia autem non solum dulce, sed etiam cum fructu non poenitendo coniunctum est, eos, qui in genealogijs operam posuere, non ignorare, breuiter hic, qui in eo genere tam apud Graecos quam apud Romanos, denique etiam in nostra gente, hisque nostris temporibus, claruere, vel auctorum monumentis celebrantur, subijcio.

Antiquissimus omnium post Poetas nominatur Acusilaus Argivus, oriundus Ceriade urbe in confinio Aulidis. Qui ad Poeticas Hesiodi genealogias emendandas animimum appulit, quemadmodum auctor est Iosephus lib. 1. contra Apionem. Addit his Suidas,

Suidas, ex æneis tabulis, quas pater ipsius, quendam ædium suarum locum fodiens, reperit, eum genealogias descripsisse.

Hellanicus post Acusilaum scribere genealogias aggressus est, & ita aggressus est, ut dum limam & emendationem profiteretur, ab acri Acusilai insectatione non abstinuerit.

Polycrates Sophista celebratur ut in Genealogijs versatus ab Isocrate in laudatione Busridis.

Alius citatur sæpissimè in Pausaniæ commentarijs.

Hecataeus, qui cum Cadmo primus historiam soluta oratione edidit, memoratur inter genealogiarum scriptores à Stephano.

Suidas ab eodem Stephano nominatur.

Simonides posterior, cognomento Melicertes, scripsit tres genealogiarum libros.

Sequuntur hos Epimenides duo, Pherecydes Atheniensis, Philistus, qui Laertij & Suidæ mentione referuntur.

Philoxenus Æacidarum genealogiam carmine descripsit, ut Suidas.

Pollio hanc utilem operam præstitit, ut tam Barbarorum quàm Græcorum, qui ad Troiam militârunt, genealogias contexuerit, teste eodem Suida.

E Romanis scriptoribus primus, quantum mihi constat, genealogias attigit Varro ille πολυγαφῶτατος, exquisitissimisque laudibus ab Augustino lib. 6. de ciuitate Dei cap. 2.

celebratus. Explicauit autem de familijs Troianis, ut Seruius. Nam grauior auctor Plinius libro 35. capite 2. non parum discrepans, & omnia ad Romanam historiam accommodans, septingentorum illustrium & nomina & imagines inseruisse voluminibus suis, ait.

Fecit non minus, aut etiam longè maius, operæ precium T. Pomponius Atticus, ad quem extat epistolarum Ciceronis volumen. Sic enim in eius vita Cornelius Nepos:

Moris, inquit, maiorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator, quam adeò diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornauit: Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustres est populo Rom. quæ non in eo suo tempore sit notata. Et, quod difficilimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in alijs libris, ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam à stirpe ad hanc ætatem ordine enumerauerit, notans, qui à quoque ortus, quos honores, quibusque temporibus cœpisset. Pari modo Marcelli Claudij de Marcellorum, Scipionis Cornelij, & Fabij Maximi, Fabiorum & Æmiliorum. Quibus libris nihil potest esse dulcius ijs, qui aliquam cupiditatem habent noticiæ clarorum virorum. Hactenus Nepos: qui paulo post subiicit, nullum temerè intercessisse diem, quo Augustus Cæsar non ad eum scriberet, quò aliquid de antiquitate ab eo requireret. Meminit eiusdem operæ Cicero in Oratore: Quem & ipsum locum subijcere visum fuit: Cognoscat, inquit, Orator res magistrarum & memoriæ veteris ordinem, maximæ scilicet nostræ ciuitatis: sed & imperioforum populorum & regum illustrium: quem laborem nobis Attici nostri leuauit labor, qui conseruatis notatisque temporibus, nihil cùm illustre prætermitteret, annorum septingentorum memoriam vno libro colligauit. Nescire autem, quid antequam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est ætas hominis? nisi cùm memoria rerum veterum cum superiorum ætate contexitur. Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque prolatio, summa cum delectatione & auctoritatem orationi affert & fidem. Hactenus Cicero. Porro autem facilè ut credam, inducor, ex hac Attici historia petitas de Papiria & Portia familia expositiones, quas habent Cicero epistolarum ad familiares (sic enim rectè quidam inscribunt) lib. 9. & Gellius lib. 13. cap. 18. vbi quidem etiam commentariorum librum de familia Portia citat.

Messala iam senex volumina de familijs condidit, ut meminit Plinius lib. 35. cap. 2.

Hyginus, Augusti Cæs. libertus, nominat genealogiarum libros suos de signis cœlestibus lib. 2.

In nostra gente, ut & in alijs plerisque, etiam antequam suus litterarum studijs nitor redijt, tentârunt quidem τὰ γενεαλογικῶν multi, sed eo tractatu atque euen-



tu, ut magis fumum ex fulgore, quàm è fumo lucem dederint, secundum Oracium. Est tamen cum primis memorabile exemplum Othonis, Episcopi Frisingensis, Diui Leopoldi, Austriae Principis F. & Leopoldi II. Ducis Austriae, Diui nepotis, quod retulit Lazius. Hi enim, quemadmodum idem loquitur, generis sui genealogias terfo filo dictionis posteris reliquere.

Patrum nostrorum memoria conatus etiam est aliquam *πρὸς γενεαλογικῶν* lucem Anthropologia sua afferre Volaterranus. Nec dissimile Boccacij studium fuit.

Hac nostra ætate de Romanis familijs operæ precium fecere illustris Baro, Richardus Streinius Austriacus, & Iohannes Glandorpius Monasteriensis. Atq; illius quidem stemmata doctissimorum virorum elogijs celebrata extant. Huius non nisi de Antonia & Iulia familia commentarij in lucem prodire, cæteris hæctenus suppressis. Quæ res filio curæ esset, non semel ei adhortatores fuimus. Nam quales credi oporteat, de publicatis, quibus nihil potest esse perfectius, planum fit. Peculiariter autem Cæsarum Romanorum familias, quibus multa, quæ ad exquisitam antiquitatis cognitionem pertinent, inserta sunt, dedit Onuphrius Panuinius. Et est quod eiusdem operæ de aliquot aliorum regnorum familijs debeatur. Neque enim omne tulit punctum, ut cum Oracilio loquamur, sed est ubi fides aliquando labascit.

Cæterorum regnorum & Imperiorum familias recognitum à Philippo Melancthone Carionis Chronicò attigit potiùs quàm explicavit. Verùm de Germanicis opera Peuceri, qui pleraq; omnia à Seldio Iureconsulto, duorum Imperatorum, Caroli V. & Ferdinandi fratrum, Procancellario, accepisset, insignis est. Neq; nihil Chytræi Chronologiae debemus. Quæ præterea à diuersis de familijs etiam diuersis edita sunt, singulatim hîc enumerentur atq; censeantur, instituti nostri nō est. Et pleraq; eiusmodi sunt, ut iudicium omnibus in procliui esse oporteat. Sunt etiam nostra *ἱστορικά ἢ χρονολογικά*, licet, in medio. Quæ utinam elaborare aliquando, ac de toto argumento illo *ἱστορικῶν ἢ χρονολογικῶν*, vt ad Germanicam historiam, quam metam nobis destinauimus, procedere commodius possimus. Studium quidem, quod sære à nobis detulimus, & in laboribus difficilimis exanclandis assiduitatem, nunquam defugiemus.

Porrò autem cum non possit non de summorum monarcharum atq; Principum exemplis plurimum *πρὸς γενεαλογικῶν* commendationis accedere, neque ea hîc mentio prætermitti debebat. Ac mansit quidē ista præcipuè Romanis Imperatoribus laus. Neq; enim interea, eaq; de causa ij, quos supra ex optimatibus nominauimus, Messalas dico, & ex Nepote Brutos, Marcellos, Fabios, & in nostra gente Frisingensem & Leopoldum Austriacum, excludendi sunt. Quare antequam eò progrediamur, visum fuit insignem illum è Plinio lib. 35. cap. 2. locum, quo laudatissimi exempli commune quoddam Romanorum in nobilium familiarum memoria conseruanda studium demonstrat, hîc inserere: Apud maiores, inquit, imagines in atrijs erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra aut marmora. Expressi cera vultus singulis disponebantur armatijs, vt essent imagines, quæ comitarentur gentilicia funera: semperq; defunctorum aliquo, totus aderat familiae eius, qui vnquam fuerat, populus. Stemmata vero libris discurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum. Aliæ foris & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spolijs, quæ nec emtori refringere liceret, triumphabantq; etiam dominis mutatis ipsæ domus, & erat hæc stimulatio ingens, exprobrantibus testis, cotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum. Hæctenus Plinius. Nunc ad Imperatores genealogiarum studiosos, redeo: è quibus principe loco Adrianus celebratur. Secundum ab eo vt cæteris plurimis in rebus, ita & familiarum veterum cognitione fecit Valentinianum I. Sex. Victor. Sed facilè vtriq; palmam eripuit è nostra gentis Imperatoribus Maximilianus I. Nam vt ipsum historiarum studium in Germania excitauit, ita per Iohannem Stabium, Iacobum Manlium & Ladislaum Sunthemium præstitit, vt Germanicorum Principum familijs tandem ex historiarum monumentis lux redierit, cum antea profunda omnia barbarie obruta essent atque squallerent. Et constat, ab eodem Imperatore cum in hos viros tum in familiarum inuestigationem sumtus ingentes factos. Fuit postea non dissimile è filio Philippo nepotis Ferdinandi Cæsaris studium. Et sunt quidem Lazij, Medici & Historici, commentarij, vt de familia

familia Aufriaca, ita & de migrationibus gentium in medio: de quibus, præstitaq; in his opera, quid sentire doctos conueniat, à me hîc inculcetur, opus non est. Facioq; de tota hac orationis nostræ parte, quam *πρὸς ἑκατόμην* destinata[m] volebamus, finē: iam postremō cuiusdam veluti corollarij loco ex multis, quæ dicenda restarent, quàm breuissimè, crassaque Minerua, adiecturus, vt scribenda Historia sit, quæque pericula comitari ferè historiæ scriptores soleant: deniq; etiam quod fabularum in historijs credi principium posse videatur.

Præcepta de Historia scribenda varia, eaq; accurata, habent Polybius & Cicero: & idem multi è recentioribus argumentum ex professo tractârunt. Vnum id è Cicerone lib. 1. de legib. repeto: Historiã nec institui posse sine præparato ocio, nec exiguo tempore absolui. Cui addatur è Polybio lib. 12. eum, qui historias scribere velit, indefinenter per omnem vitam huic tractatui incumbere, non autem obiter attingere, debere. Quò pertinet, quod prodidit de sua historia Diodorus Siculus, annos se triginta in descriptionem impendisse: pertinet itidem quod habet Dion, annis decem à se historiã collectam, per scriptam duodecim: pertinet deniq; quod Seruius in 9. Eclog. Virg. scriptum reliquit, Cinnam de Smyrna librum decem annis elimasse. E hac nostra ferè memoria historiã Boiorum scripturus Auentinus, annalium & diplomatum inspectione, & omnis generis antiquitatibus conquirendis, septennium insumsit, vt testatur de eo Schardius Iureconsultus. Neq; è Nicolai Vignierij de historica Bibliotheca sua relatu obscurum, iam per annos tredecim, cùm Chronicon rerū Burgundionum ederet, in isto opere ab eo elaboratum. Quibus præterea addatur, quod Iohannes Basilus Heroldus de historia Pauli Iouij habet, hanc ab illo annis triginta septem cōcinnatam. Est etiam cum primis memorabile, quod de Menandro Ephesio habet Iosephus, nempe historiã, quam de singulorum regum tam Græcorum quàm Barbarorum rebus gestis scripsisset, è provincialibus cuiusq; loci litteris illum excerpisse. Et præstitit quidem haud dissimilem superioribus annis de regno Italiæ operam Carolus Sigonius.

Pericula, in quæ vocari plerunque Historici assolent, diuersis nobis exemplis propo-  
sita sunt. Hic vnum atque alterum adijcio.

Temporibus Tiberij Cæs. in ius postulatus Cremutius Cordus fuit, quòd laudato Bruto, Cassium vltimum Romanorum dixisset. Quanquam verò is accurata se oratione, cuius argumentum Tacitus habet, defenderet, mori tamen iussus est, vt Dion. Nam Tacitus voluntarium eius vitæ finem significare videtur, & libros per Ædiles cremari à Patribus iussos, ait, sed qui tamen manserint occultati & editi. Quo magis, inquit, socordiam eorum admirari libet, qui præsentis potentia credunt extingui posse etiam sequentis æui memoriam. Nam contra punitis ingenijs crescit auctoritas. Neque aliud externi reges, aut qui eadem sequitia vsi sunt, nisi de decus sibi aut illis gloriam peperere. Hactenus Tacitus.

Caligula, Princeps ingenio monstroso, acerbè in Liuij historiã inuectus, parum abfuit, quin aboleuerit, & imagines ex omnibus bibliothecis amouerit.

Domitianus, neutro mitior, Iunium Rusticum, quòd Pati Thraseæ & Heluidij Prisci laudes edidisset, appellaretq; eos sanctissimos viros, occidit, vt Suetonius. Nam Tacitus in vita Iulij Agricolæ non parum varians, qui Pætum laudasset, Arulenum Rusticum, qui Heluidium, Herennium Senecionem vocat. Addit præterea, etiam in libros ipsorum sæuitum fuisse, delegato Triumuiris ministerio, vt monumēta eorum in comitio & foro vrerentur. Idem Domitianus & Hermogenē Tarsensem propter quasdam in historia figuras, & Metium Pomposianum, quòd conciones regū ducumq; è T. Liuijo circumferret, vita expulit. Neq; si Suetonio credimus (nam Iosephus variat) vllam vnquam historiæ cognoscendæ operam dedit, sed solos Tiberij Cæs. commentarios atque acta lecitauit: & vt ocio suo cōsuleret, epistolas, orationes & edicta ferè alieno stylo formauit. Quodque fieri semper assolet, vt exempla regentum in vulgus manent, secundum Claudianum, idem etiam Domitiani seculo accidit. Vnde est grauissima illa Iuuenalis Poetæ, qui tum vixit, querela Satyr. 7.

*Vester porro labor sæcundior, historiæ*

*Scriptores, petit hic plus temporis atq; olei plus.*

*Namq; oblita modi mille sima pagina surgit*

*Omnibus, & crescit multa damnosa papyro.*

*Sic ingens rerum numerus iubet atq; operum lex.*

*Quæ tamen inde seges? terra quis fructus aperta?*

*Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?*

Paulus Iouius, de quo supra dictum, sepe de periculis, quæ ex liberiore stylo sibi imminere queritur. Et nota Sleidani, hominis ex Vbijs Germani, fortuna est. Lubuitque adijcere ex eiusdem Iouij ad Octauium Farnesium epistola quadam locum notatu dignissimum: Quod ad historias meas pertinet, inquit, eas nequaquam tabellarijs committi posse putauerim, ne interceptæ quorundam animos offendant. Nunquam enim vel æquissimus rerum gestarum scriptor victis pariter atque victoribus satisfacit, quominus vtrinque gratiam suam extenuet vel odium quærat, quod eum facile sit factiosa superbaque iudicia subire, qui inter viuos libero ore locutus, tanquam posterus gratum facturum, non procul ad inuidia fortunæ ludos perscribit. Hactenus Iouius.

Neq; sanè vel hodie non sæpe immites Tiberios, furiosos Caligulas & sæuos atque ignauos Domitianos reperias. Et aperta omnibus est vulgi peruersitas, noti etiam in literatorum fecerunt. Accursiani nonnulli, qui non esse de pane lucrando occinere audeant. Quasi verò eundem liberalium artium tractatus, quem cerdones propositum scopum habeat, aut id, quod maximè quæstuosum, etiam dignitate vincat. Adde his de recentibus historijs, fermè de illis euenire solere, quod scripsit Ammianus: Pericula veritati contigua esse. Inde enim est, quod idem ex Cicerone retulit, quosdam formidine horum edere cognitiones actuum variorum, etsi vberibus styli explicatas, superstitibus noluisse. Et pertinet eodem, quod vt plerique hac nostra memoria, ita etiam historia de Henrici III. Cæs. vita auctor nomen suum suppressit.

Quamquam verò hæc ita sint, tamen adè inde Historiæ decus non infuscatur, vt potius magis splendescat. Nam Tyrannis id quod optimum est, & *κατασκευαστα*, quæ tamen securitate careat, non probari, quid mirum? Rectius quidem ille ipse Tiberius, cum aduersus conuicia malosq; rumores, & famosa de se ac suis carmina, animum obfirmatum atque inuictum ostendere vellet, sensit, atq; sanius, mente & ipse adhuc sanus, statuit, cum diceret: In libera ciuitate & linguam & mentem liberam esse debere. Et Senatu per adulationem aliquando de eiusmodi criminibus ac reis cognitionem flagitante: Non tantum, inquit, ocij habemus, vt implicare nos talibus negocijs debeamus: Nam si hanc nefestam aperueritis, nihil aliud agi sinetis: omnium inimicitia hoc prætextu ad vos deferentur, quemadmodum est apud Suetonium.

Quod si tamen tam iners quispiam, tamq; excors fuerit, vt propterea ab historiæ tractatione abstinendum existimet, is ita habeto, neq; cæteras disciplinas similibus periculorum expertes esse. De Theologis quidem, qui angustioribus quasi finibus, extra quos ipsis euagari sine piaculo non licet, inclusi sunt, nihil dico. E Iureconsultis cæsi miserabiliter illa disciplinæ huius lumina, Papinianus & Ulpianus, fuere. Et sæuijt in Medico ob Hephæstionis mortem atrociter Alexander Magnus, sæuijt ob morbum proprium Maximinus Cæsar. Nec Socrates, tametsi innocentissimus, propter Philosophiæ professionem effugere nefariam accusationem & capitis discrimen potuit. Legimusque cum ab alijs veteribus regibus Philosophos vexatos, tum ab Imperatoribus aliquot vrbe & Italia pulsos. Quid? quod suos ipsorum præceptores Hercules quidem Linum, Nero Senecam, quem antè immensis opibus (nam ter millies sestertium, hoc est, septuagies quinquies centena millia aureorum coronatorum, quæ intra quadriennium corrasisset, Suillius apud Tacitum ei exprobrat) cumulasset, interfecerunt?

Fabularum vel potius allegojarum, quas Historiæ habent, aut à quibus illa profecta sunt, partim principium idem duco, quod de Historicis iam diximus, partim simpliciter è nominum similitudine ingenij lusum statuo. Cum enim non semper liceret verum proferre, & tamen homines ingeniosi perire rerum gestarum memoriam nollent, ad hoc tutius veluti perfugium se receperunt. Et iuuat sæpe tanquam veste regi, cuius cognitionem patere quibusuis nolumus, aut id, quod iam antè notum est, vel in allegojaris vel in mythologijs translatum habere: sed non e contra. Inuenias ergo qui Iudithæ historiã, eius, quæ de Esthera extrat, allegojarum existiment. Et certum est, Germanicorum illorum rythmorum expositionem, quam vocamus *Tewrdanck*, itidem allegojarum de Maxi-

de Maximiliani I. Cæs. rebus gestis enarrationem esse. Suntque eiusdem fortè generis fabulæ & cantus de Theodorico Veronensi, Henrico Leone & Melusina Lucemburgica. Nam Gigantes, quibuscū Theodorico res fuit, interpretor è Carionis Chronico barbaros, quos ille vicit ac profligauit. De Henrico Leone, & fabulis de eo confictis, memini me nuper accuratè differentem D. Ludolphum Schraderum, in hac academia Ordinarium, virum nominis celebritate, sciētia iuris ac dignitate amplissimum, quem honoris causa nomino, audire. Et certè quidem si dextrè accommodes, multa cum historia conueniunt. Addatur his postremò cantilena illa iocularis, quæ cuculi è falice prolapsi mortem habet. Nam quod Germanicè falicem dicimus, exprimit nomē familiæ Germanicæ, & quidem Comitatu claræ, ad quam allusio fit. Scimus etiā quid de plerisque Sanctorum legendis, vt vocant, euenerit. Nam vt ne singulas ad trutinam reuocem, nec id inculcem, plurimas è Poetarum fabulis confictas, ita quidem non pauca allegorias referre videntur.

Atque erant hæc, quæ in præsentī afferre de Historia in medium habebamus. Vtinam autem factum operè precium sit, vtinam conatu, vt mihi persuasi, haud improbando, operam & oleum, quemadmodum dici consuevit, non perdidisse videamur. Vnum id vereor, prolixitas fastidium pepererit. Sed omnino ita se res habet, quod scripsit de se alicubi Hieronymus, vt nempe dum vrceum facere cogitauī, amphorā finxerit manus. Est enim argumentum, si pro dignitate tractare velis, amplissimum & rebus locupletissimum: nec fieri potest, vt non tanquam in latifundio, aut spaciōso exquisitèque exculto horto, quis in amœniora diuerticula animi causa deflectat. Quod reliquū est, precor ab immortalī Deo, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, & Filius, & Spiritus sanctus, in vna sacra *θεός, υἱός, & ἅγιος πνεῦμα*, & Ecclesiæ & S. Romano Imperio, cuius vtriusque nos ciues & alumnos profitemur, precor summo in terris magistratui, quem in Sacratissima Cæsareā Majestate nos agnoscere, colere ac venerari par est, precor denique illustrissimo Electori Brandenburgico, Domino nostro clementissimo, atque vt Ecclesiæ, ita & academiæ huius altori ac protectori beneficentissimo, fausta & felicia omnia. Sanè in quæ tempora inciderimus, quæ nos fata vrgeant, nemini nisi vel veterno stertenti, vel non cæcutienti, sed planè mente & oculis capto, obscurum esse potest. Sed neque Ecclesiæ suæ defuturum sese *ἀπορροῖ*, & pijs cœptis *ἰδρυθῆναι*, amplissimis Filius Dei nobis pollicitationibus recepit: ac de summa & propicia vti cæterorum in clytæ præpotentisq; domus Brandenburgicæ Principum, ita inprimis illustrissimi Electoris erga Ecclesiam & bonas litteras pietatis ac benignitatis affectione sperare nos prolixè conuenit. Quam confirmet idem Deus opt. max. *δοτῆρ ὁ χριστὸς τῆς ἀγαθῆς*, & in cuius manu cor regis, assidua & religiosa nos prece supplicare oportet.

DIXI.



1812929

SIGNIFICATIO RE-  
CITATIONIS.

S.



**Q**UOD fieri more maiorum consuevit, ut, quibus publicum in academijs docendi mu-  
 nus commissum est, hi in operas suas presentur, eaq. re sese & quam studiorum par-  
 tem profitentur, commendent, idem non debuit non à me etiam observari. Neq. quod  
 vel de absentia mea diuturniore, vel, ubi huc tandem appuli, interposita mora, hic  
 ceu purgandi mei gratia operose inculcarem, necesse esse duxi. Nam illa quidem cau-  
 sas habuit aequè grauiſſimas atq. iustiſſimas. hoc est, quas partim necessitas, partim respectus, pietati  
 & sanguini debitus, expressisset: hanc cum alia pepererunt, tum difficultates, quae migrationes  
 comitari semper assolent. Atq. ubi iam portum tenere videbamur, hanc rurſus impotens illa fortu-  
 na tempeſtatem longè acerbisſimam immisit, seu potius nouo infortunij casu ad pietatis cultum ad-  
 dere stimulum acriorem Deus opt. max. voluit, quod vix semestrem filiolum, atque idèò ardentiore  
 affectione deamatam, quod difficilimo matris partu in lucem edita eſſet, nec morbus huius  
 periculoſiſſimus, fermeq. lethalis, qui, ut propemodum ablactanda fuerit, effeciſſet, nihil in cam po-  
 tuiſſet mors agrotatione repentina abstulit. Quibus illud insuper accedit, quod bene longo tempore  
 à bibliotheca mea abfuerim: quippe quam paulo poſt, ac tranſactum mecum eſſet, eo animo huc pra-  
 miserim, ut propediem cum familia ſequerer. Et certè quidem, cum casus interea non leues me af-  
 fluxerint, plerisq. autem mederi euentibus ſalubribus cœperit *ἡμετέριος Θεὸς Ἰωάννης* Filius Dei, hic de-  
 uſitatarum operarum intermiſſione tam facile reſarciri poſſit, ambigo. Rectè enim Antiphon Athe-  
 niensis: *πολυτέλειον αἰδέωμα χόρος*, quemadmodum eſt apud Plutarchum. Nec minus præclarè Pli-  
 nius omne tempus perire dixit, quod ſtudijs non imperiatur. Porro autem quæ amplisſimi Senatus  
 academia decreto impoſita mihi partes ſint, coſtare publicè opinor. Nec obſcura ſtudia noſtra ſunt:  
 quibus tam prodeſſe, idq. operæ precium facere quæamus, quod & antehac facere ſtuduimus, & de-  
 inceps Deo volente, atq. ad eò ducente, non minori conatu ſtudebimus, opto etiam atq. etiam. Sanè  
 encomia, quæ commendatiorem diſciplinam iſtam, omnium ut dulciſſimam ita & utiliſſimam, red-  
 dant, congerere permulta poſſem. Sed id fortè eſſet *γλαῦκος εἰς Ἀθῆνας*, ſecundum adagium. Eſt enim  
 res in medio, neq. ſummorum tam monarcharum, regum atq. Principum, quàm cæterorum omnium  
 qui illuſtri ſapien-tiæ & virtutis fama enituerent, teſtimonia atq. exempla clàm ſunt. Breuiter quidem  
 ſed verè Gregorius Naſianſenus, quem eximia appellatione Græci Theologum cognominârunt, in  
 verſu quodam, *ἰσοπέλω συμπεριπέλω σοφίλω* vocat. Et aequè grauius Cicero: Neſcire, inquit, quid antequam  
 natus ſis, acciderit, eſt ſemper eſſe puerum. Hac cum ita ſint, & quam naſti Spartam ſumus, orna-  
 re nos omni contentione, hoc eſt, quantum pro modulo noſtro licet, deceat, cras, quod felix & fau-  
 ſtum ſit, hora & loco anteceſſori meo, D. Edoni Hilderico, conſueto, nempe tertia poſt meridiana in  
 collegio Philoſophico, aliquid de hiſtoriâ, eiſq. dignitate, & quæ præterea de diſciplina hac indicari  
 utiliter *ἡμετέρι* debere exiſtimauiſſimus, præfabimur. Quare ſignificatiõni publica nauatum be-  
 neuolentiæ ſtudium ac benignitatem propenſam iri conſidimus. Francofurti ad Viadrum M. Iunij  
 D. XXI. CIO. IO. LXXIX.

 Reinerus Reineccius  
 Steinhemitus.